

www.e-rara.ch

**Dissertationes Historicæ, Criticæ, Chronologicæ In Sacram Scripturam
Veteris Testamenti**

Petitdidier, Mathieu

Tulli Leucorum, M. DC. XCIC

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-48910>

Dissertatio prima [- decima].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



DISSERTATIONES
HISTORICÆ, CRITICÆ,
CHRONOLOGICÆ
IN
SACRAM SCRIPTURAM
VETERIS TESTAMENTI
DISSERTATIO PRIMA
DE
LINGUARUM ET CHARACTERUM ORIGINE.
SECTIO I.
De Linguarum origine.

CIRCA Linguarum originem celebris est sententia
Diodori Siculi lib. 2. Bibliothecæ Historicæ; cui ad-
stipulantur Vitruvius lib. 2. de architect. c. 1. & Lucre-
tius, afferentes primos homines more belluarum, initio voces

inarticulatas & confusas edidisse; dehinc sonos aliquos articulos effinxisse; ac postmodum processu temporis, per diversa signa notam sibi invicem fecisse rerum omnium interpretationem, & linguas integras efformasse. Diversitatem vero linguarum seu idiomatum, ex diverso in diversis hominibus rationis usu profluxisse docuerunt.

Quamvis autem hæc sententia sacris litteris contraria videatur, & ante annos plusquam mille trecentos ab Eusebio l. 1. de præp. Evang. c. 4. fuerit explosa; nuperrimè tamen Richardus Simonius hist. crit. vet. test. l. 1. c. 14. & 15. eam tueri aggressus, & cum sacrâ scripturâ conciliare conatus est; hac nimirum ratione, quòd ista opinio fidem nostram cum humanâ ratione, & Theologiam cum Philosophiâ conciliet. Nec valdè movet Simonium quòd Scriptura videatur Deo tribuere tam linguarum originem, quam earum multipliciter: præterquam enim Gregorium Nyssenum Orat. 12. contra Eunomium in hac sententiâ ducem & authorem habet: respondet Scripturæ verba non esse semper urgenda ad rigorem Grammaticæ: sed plerumque rationi esse accommodanda. Undè infert Scripturæ loca, quæ Deo multipliciter linguarum tribuunt, sufficienter salvari, si linguarum confusio ad specialem Dei providentiam referatur.

Sed ut circa quæstionem propositam mentem nostram aperiamus, dicendum est istam sententiam, difficile cum rectæ Theologiæ principiis; difficilius etiam cum Scripturæ verbis posse conciliari: nec tutum esse hac in parte à communi sententiâ, quæ Deo auctori linguarum originem tribuit, recedere. Enimvero quòd ad primam linguam attinet, quis sibi in animum inducat, Deum, cujus omnia opera perfecta sunt, creasse primum hominem in eo statu, quo suos conceptus absque summo labore uxori suæ patefacere non posset. Ecquid enim tanta imperfectio, cum perfectione in quâ creatus est, & tanta in exprimendis cogitationibus molestia, cum statu beatitudinis naturalis conciliari potuisset? Præterea si primus homo linguæ alicujus usum in creatione non accepit, sed processu tantum temporis suo labore acquisivit, quomodo statim à creatione singulis animantibus sua nomina imponere potuit? Quomodo statim Dei colloquio

usus, & cum suâ uxore familiariter conversatus est? Quomodo tandem homo animal polyticum & ad societatem natum dici posset, si id sine quo societas stare nequit, in creatione non accepisset?

Concludendum est igitur primos homines cum alicujus linguæ scientiâ, ejusque expedito usu creatos fuisse, ac primam linguam Deum authorem habuisse.

Quantum autem attinet ad alias linguas, quæ ex Babelycâ confusione profluxerunt, non erit magis difficile ostendere illas etiam à Deo authore profluxisse; clarior enim est hac de re textus facer, quàm ut ejus verba in alienum sensum detorqueri possint. Primùm enim expressè notat unicam fuisse linguam in toto orbe, cum ceperunt filii Noë turrin babelycam ædificare. *Erat autem, inquit Genes. ij. 1, terra labii unius & sermonum eorundem.* Et v. 6. *Ecce unus est populus & unum labium omnibus.* Deinde subdit v. 7. *Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam ipsorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Postea vero subjungit quod factum est his verbis v. 8, & 9. *atque ita divisit eos Dominus in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem, & id circò vocatum est nomen loci illius Babel, quia ibi confusum est labium universa terra.* Ex quibus omnibus manifestum est 1.º ante confusionem unicam, ut diximus, fuisse hominibus linguam. 2.º confusionem à Deo fuisse immisam in pœnam, & ut ædificatores turris opus suum imperfectum relinquere cogerentur; quod alioqui non fecissent, ut innuunt ista verba v. 6. *Nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant.* Atqui ista duo sufficiunt ad evertendas responsiones, quibus Symonius scripturæ verba conatur eludere. Nam 1.º quod dicit hinc ortam esse confusionem linguarum, quia in ædificatione turris multa occurrerunt, quæ necdum sua habebant nomina; quis crederet linguam, quâ unicâ nepotes Noë ab annis plusquam centum à diluvio elapsis, utebantur, quamque ab ipso Noë sexcentis annis antediluviano didicerant, adeo imperfectam & informem fuisse; ut necdum illis voces ad materiam & instrumenta ædificiis erigendis necessaria exprimenda suppetere-

Quod vero subdit idè scripturam Deo hanc confusionem tribuere, quia ad ejus providentiam pertinuit, & ab illà fluxit, nimis etiam à textu sacro recedit. Quis enim ex ipsâ lectione scripturæ statim non perspiciat, effectum ædificationis esse non potuisse, quod in ipsius pœnam à Deo immissum est? Adde quod inficiari nequit Symonius, quin ista, quibus, in ejus hypothese, nulla tribuerant adhuc nomina nepotes Noë, paucissima fuerint, in comparatione eorum, quorum nomina omnibus nota erant. At si dumtaxat in pauculis istis vocibus facta est confusio, Quomodo verum erit, quod ait scriptura, talem fuisse confusionem ut non audiret, id est, non intelligeret unusquisque vocem proximi sui?

Sed & si nulla scripturarum suppeteret authoritas ad hanc linguarum multiplicationem Deo tribuendam; sola tamen ratio id abundè comprobaret. Non enim tanta nec tam subita linguarum diversitas, aliundè provenire potuit, quam aut ex Dei voluntate qui illam immiserit; aut ex Angelorum potestate, qui illam producerint, (ut Origeni & nonnullis Rabbiniis visum est) aut ex hominum arbitrio, qui spontè & ex deliberata mente tantam linguarum diversitatem induxerint: atqui per Angelos id fieri non potuit; siquidem superat eorum potestatem, quâ nec in mentes, nec in voluntates agere possunt; sicut nec omnes species memoriæ impressas in momento delere, aliasque earum loco substituere: neque etiam per homines, cum incredibile sit eos in tantam linguarum varietatem consentire voluisse. Cur enim voluissent sermonem per tot sæcula usitatum, & ad vitæ societatem tam necessarium mutare, se seque tanto unius linguæ omnibus notæ beneficio privare? sed & si id voluissent, quomodo tamen perficere potuissent? Concipi quidem potest plures homines diversas linguas loquentes aliquam novam ad suos conceptus exprimendos excogitare posse: sed nunquam concipi poterit, quomodo multitudo magna hominum, qui linguam eandem habent, in aliâ novâ subitò excogitandâ consentire possit, præsertim absque notabili prioris linguæ admixtione. Sed ista ampliori probatione non indigent.

Queritur vulgò quot linguæ ex bablyca confusione

prodierint? ad quod unica certa responsio est id omnino esse incertum. Qui Hæbraico textui adhærent ut paraphrasis quæ Jonathani in Genes. ij. v. 7. & 8. tribuitur, & Talmudistæ tract. Sanhedrim c. j. plerumque septuaginta linguas numerant; qui verò sequuntur versionem τῶν ὀ septuaginta duas ex confusione ortas statuunt, juxta numerum familiarum, quæ in sacro textu recensentur. Hinc est, quod ferè omnes Patres tam græci, quàm latini, qui versione τῶν ὀ usi sunt, ut Clemens Alexandrinus Stromat. lib. i. Eusebius l. i. chron. pag. ij. Epiphanius hæresi 39. quæ est Sethjanorum. Augustinus lib. 16. de civ. c. 13. Prosper, sive author libri de vocatione Gentium lib. i.º c. 9. Author libri de mirabilibus scripturæ, & author quæstionum in utrumque testamentum inter opera Aug. Philastrius hæresi 63. & cæteri septuaginta duas linguas ex babelyca confusione ortas voluerint. Nonnulli tamen authores ut Ephorus & alii quos refert Clemens Alexandrinus lib. i. Stromat. septuaginta quinque numerarunt.

Sed si res diligentius inspiciatur, facilè erit animadvertere hunc numerum aut extendendum, si tot linguæ quot homines numerentur, cum longè plures fuerint ex Chami & Japheti posteris quam qui in Genesi recensentur: aut potius hunc eundem numerum constringendum esse; siquidem nonnulli eorum quos recenset Moyses Genes. 10. necdum nati erant cum ista confusio contigit, & plures eorum qui tunc erant etiam post confusionem primævam linguam loquuti sunt, ut de Cananæis ex Scripturâ manifestum videtur, & de aliis refert Samuel Bochartus Geogr. sacr. l. i. c. 15. qui vix triginta linguas ex confusione ortas concedit.

Porro quamvis incompertum nobis sit quænam ex linguis hodiernis ab ista Babelis confusione originem trahant, inter eas tamen quæ nobis notæ sunt, nonnullæ quasi Cardinales, è quibus aliæ multæ pullularunt à viris doctis recensentur, nimirum Hæbraica, Græca, Latina, Teutonica, Sclavonica, Tartarica & Chinensis, quæ sunt omnium quas noverimus, antiquissimæ.

Verum cum omnia sint in perpetuo fluxu, nihilque magis obnoxium sit mutationi quam linguæ, varias etiam mutationes

6 DISSERTATIONES HISTORICÆ,
hæ, quas modo recensuimus perpeffæ sunt. Hæbraicæ nitor
jam diu in captivitate Babilonica ex Chaldaicæ commixtione
deperit. Græcæ idem accidisse ex Turcarum in Orientale
imperium irruptione cernimus. Sed nec latina lingua seipsam
ab hujusmodi corruptione servare potuit, ex quo gens Go-
thorum Italiam aliasque occidentales plagas occupavit, &c.
Harum autem mutationum causa præcipua est; quod sermo in
usu & consensu populorum, sicut nummi valor, positus est,
ideoque multis de causis, prout vulgus mobile est, immu-
tatur.

SECTIO SECUNDA.
DE LITTERARUM SEU
Characterum origine.

QUOD spectat ad litterarum seu characterum originem,
duo circa illam inquiruntur. Primum à quibus, secun-
dum vero quo tempore inventi sint characteres.

Hujus inventionis gloriam sibi vendicarunt præcipuæ orbis
nationes ut Ægyptii, Phænices, Hæbræi & Assyrii. Ægi-
ptiis eam tribuunt Diodorus Siculus lib. 2. Plutarchus sympo-
siachon l. 20. c. . Cicero lib. 3. de natura Deorum & alii di-
centes Deum quemdam ab Ægyptiis coli solitum nomine
Teuth, litteras primum adinvenisse, easque Ægyptios cultores
suos edocuisse. Illum vero Teuth asserunt fuisse Mercurium
Trismegistum, à quo libros innumeros conscriptos fuisse do-
cet Philo bibliensis apud Eusebium. Verum hæc omnia dubiæ
admodum sunt fidei; præterquam enim librorum illorum,
nemo præter Philonem hactenus meminit; omnes ferè docti
hodiè asserunt tam hunc Mercurium, quam quæ de illo fe-
runtur esse fabulosè conscripta, aut si quæ vera conji-
ciunt circa litterarum inventionem, ea de litteris hieroglyphicis,
non de characteribus elementaribus intelligenda statuunt.

Nec magis favet Ægyptiis, quod dicunt Cadmum Ægi-

ptium primum fuisse qui Græcis litteras tradidit: nam & si res ita se habeat, minime tamen ab Ægyptiis, sed à Phænicibus eas Cadmus acceperat, ut constat 1.º ex Herodoto qui id expresse testatur in Terpsycore, 2.º ex eo quod Græcos litteras non docuit Cadmus nisi post suum ex Phænicia reditum; si tamen ex Ægipto in Phæniciam unquam profectus est, plerique enim veteres cum ex Phænicia oriundum faciunt, ut Plutarchus symposiachon lib. 9. problemate 3.º Clemens Alexandrinus Stromat. l. 1.º & alii apud Vossium de arte gramm. l. 1. c. 10. & Bochartum Geographiæ sacræ 2.º partis l. 1.º c. 20.

Omissâ igitur hac sententiâ quidam ut Eupolemus apud Clementem Alexandrinum ibidem Mosi litterarum adinventionem adscribunt; sed hoc omnino gratis; præsertim cum ipse Moses decem mandata in tabulis lapideis scripta à Deo accepisse legatur. Alii ut Plinius l. 5. & 7. Lucanus l. 3. Critias apud Athenæum lib. 1.º & cæteri litterarum inventionem ad Phænices referunt, & inde est quod apud Hesychium ἔξφοινιζᾶν seu phænicissare est legere. Sed & si Phænices Græcis litteras primi omnium tradiderint, ut est communis sententia fere omnium veterum, non fuerunt tamen primi earum inventores; siquidem ipsi ab Assyriis eas acceperant, ut docet Diodorus Siculus l. 5.º Per Assyrios autem ipsos etiam Hæbræos sæpe intelligendos esse eruditorum nemo nescit, & evidenter ostenditur ex Themistheo, qui oratione 9. Hæbræorum libros vocat *γράμματα τῶν ἀσσυρίων* dum ex proverbii Salomonis id citat, *cor Regis in manu Dei*. Porro litterarum antiquitatem apud Assyrios eximie probat Simplicius comment. 46. in Aristotelis lib. 2.º de cælo, cum refert Calisthenem rogatum ab Aristotele misisse in Græciam astronomicas Chaldæorum observationes ab annis mille nongentis tribus ante Alexandri magni tempora, id est ab annis 200. ante natum Abraham, paulo ante turris babelycæ ædificationem. Ex quibus patet ante dispersionem gentium Assirios litterarum usum jam habuisse. Eas autem ante diluvium jam usitatas & ab Adamo aut Setho excogitatas fuisse, & si nulla ratio invictè probat, multa tamen rem faciunt admodum probabilem.

Primò enim confecta res est si fidem Josepho habeamus. Scribit enim ille lib. 1.^o antiq. c. 3. rerum caelestium disciplinas in duabus columnis, quarum altera ad ejus usque ætatem conservabatur, ab hominibus antediluvianis fuisse conscriptas. Sed suspicari aliquis fortassis posset, Josephum hac in re, quæ suæ genti aliquatenus favebat, non satis cautum fuisse, ad cavendam deceptionem.

Secundò id confici potest ex sagaci Adami ingenio, & maxima litterarum utilitate. Vix enim credibile est Adamum plusquam novem sæculis vixisse, nec tamen in tanto temporis spatio aliquem modum excogitasse, quo & series annorum observari, & rerum gestarum memoria conservari, & ejus ad posteros scientia transmitti posset.

Tertiò idem probatur quod licet usus litterarum antiquissimus sit, ut ex dictis constat, nullum tamen certum tempus assignari potest quod earum inventioni fecerit initium. Ex quo sequi videtur eas semper in usu fuisse, proindeque Adamo non incognitas.

Quartò denique quia vix negari potest quin Enoch aliqua scripserit, cum ejus prophetia quam refert in epistola sua B. Judas per tot annorum millia sine scripturæ adminiculo servari non potuerit. Unde D. Aug. ait, l. 1.^o de civit. c. 15. *Scripsisse divina quedam Enochum illum septimum ab Adamo negare non possumus.* Nec certe huic argumento satisfacit Simonius, cum ex historia Jannis & Mambre probare nititur multa alia beneficio solius traditionis fuisse servata: nam præterquam in temporum diuturnitate maxima est differentia, longè facilius est facti alicujus memoriam, quam sententias ab aliquo prolatas sine scripto conservari apud posteros.



DISSERTATIO SECUNDA.

DE LINGUA HÆBRAICA
& Characteribus Hæbraicis.

SECTIO PRIMA.

De Lingua Hæbraica.

Linguam hæbraicam sic dictam esse ab hæbræis nemo ambigit; at unde tandem Abrahamæ & posteris ejus nomen istud obtigerit non ita omnibus est compertum. Alij enim hæbræos quasi Abrahamæos denominatos putant, sed hæc sententia jam diù ab omnibus doctis explosa est. Alij ab Hebero Semi pronepote nuncupatos volunt; & quidem hujus sententiæ sunt inter veteres Josephus l. 1. antiq. c. 6. Eusebius de prepar. Evang. l. 7. c. 2. Aug. de Civ. l. 16. c. 3. & l. 18. c. 39. Inter recentiores verò Pererius, Mercerus, Genebrardus, Cornelius à lapide, Simonius &c. Alij denique à voce *Ebri* quæ transitum seu trajectionem significat, Hæbræos appellatos fuisse contendunt. Cui sententiæ patrocinati sunt ex veteribus Africanus, Origenes, Diodorus Tarsensis; Chrysostomus, Theodoretus: ex recentioribus Josephus Scaliger, Brianus Waltonus & alij quorum sensus probabilior nobis apparet ob rationes sequentes.

1°. Quia verisimile non est Abraham qui sex generationibus Hebero posterior erat, ab eo nomen habuisse, cum nullus ex ejus progenitoribus licet ad Heberum magis accedentibus nomen istud habuisse deprehendatur.

2°. Quia Abraham ipse tunc primum Hæbræus appellatus est, cum Euphratem trajecit, & terram Chanaam ingressus est.

3°. Quia huic sententiæ apertè favet versio septuaginta interpretum, quæ capite 14. Geneseos, ubi legimus in vul-

gatâ , Abraham Hæbræo , sic habet , Abraham τῷ πῆρατι id est transitori, nec valet quod adversarij respondent transitum illum Abrahami non fuisse actionem tam insignem, ut ei cognominationem novam mereretur ; non enim ab actionis æstimatione , sed à personæ novitate & regionis transmutatione nomen illud Abrahæ à Cananæis impositum est : eodem modo quo nonnullos populos Ultramontanos , Transalpinos , aut Transmarinos appellamus.

4°. Quia hæc sententia etiam ex rationum alterius sententiæ debilitate firmatur ; qui enim Heberi etimologiam conantur adstruere , duo tantum pro suâ sententiâ adducunt , quorum alterum male intellectum , alterum verò gratis assertum esse facilè ostenditur. Primum est quod Genesis 10. de Semo dicitur eum esse *Patrem omnium filiorum Heber*. Sed respondetur aut, pro, filiorum Heber, legendum transfluvialium, ut docent plures interpretes non indocti , aut certè ideò haberi nomen expressum quia magis in particulari genealogiam ejus recenset Scriptura, quàm aliorum filiorum Sem. Secundum quod pro suâ sententiâ adducunt , est quod lingua Hebraica in solâ Heberi familiâ conservata sit in remunerationem ejus fidelitatis quâ ædificationi Babelicæ turris consentire detrectavit. Sed respondetur 1°. Incertum esse an Heber ædificationi turris consenserit necne. 2°. Non magis certum esse an lingua Hebraica in Heberi familiâ conservata sit, imo certum videri Abraham non ab Hebero , sed à Cananæis linguam quam Hebraicam appellamus didicisse ; siquidem ex libro Josue constat nomina montium , urbium , & cæterorum locorum terræ Canaam , etiam antequam ab Hæbræis possiderentur , fuisse hebraica ; & ex Genesios 27. clarum est linguam illius regionis , ex qua egressus fuerat Abraham , diversam fuisse ab hebraica. Sed hætenus dictum sit de nomine.

Ut igitur ad rem ipsam veniamus, quæritur an lingua Hebraica sit omnium antiquissima , eaque quâ Adam usus est. Ad quod respondemus affirmativè contrà Grotium qui existimat primam linguam nullibi nunc extare , sed in confusione Babel periisse : & contrà Theodoretum qui antiquitatis

privilegium Syriacæ seu Chaldaicæ linguæ tribuit. Firmissimum autem pro nostrâ sententiâ argumentum petitur ex nominibus hominum ac locorum quæ ab initio mundi usque ad linguarum confusionem in Scriptura recensentur. Cum enim eorum omnium radices & etimologiæ in solâ linguâ hebraicâ reperiantur, nec verisimile sit Moysen per totam historiæ feriem tot nomina tam aptè potuisse in aliam linguam mutare ut eorum vis & significatio eadem semper remaneret, indicium est manifestum linguam hæbraicam esse non solum omnium antiquissimam, sed eam ipsam quâ primus homo ejusque posterius ad diluvium usque usi sunt. Idipsum confirmatur tum ex nominibus Gentilium Deorum quæ plerumque ab hebraicis radicibus derivantur, tum ex ipsius linguæ simplicitate & puritate, quæ tanta est ut nihil ab alienis linguis mutuetur, cum tamen ferè omnes aliæ aliquid ab illâ acceperint.

Erit fortassis qui miretur & difficile credat linguam quæ apud solos Cananæos Chami posteros in usu erat post Babelicam confusionem dici à nobis omnium antiquissimam. Sed mirari desinet, si attenderit hoc privilegium Cananæis fuisse concessum solum in gratiam Israëlitarum qui linguam istam ab illis aliquando edocendi erant. Cæterum lingua hebraica post captivitatem Babilonicam Judæis paulatim desit esse vernacula. Cum enim per septuaginta annos coacti sint extrâ patriam suam Chaldæis servire, hinc contigit ut qui linguam Chaldaicam in captivitate didicerant, suæ facilius obliti sint, eamque, paucis vocibus exceptis, penitè relinquerint. Interim tamen hic obiter notandum est contrâ communem sententiam eruditorum, Judæos statim à reditu captivitatis, linguam hebraicam adhuc intellexisse, ut manifestum est ex libri 2. Esdræ cap. 8. versu 2. ubi habetur, *Attulit ergo Esdras sacerdos legem coràm multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere in die prima mensis septimi, & legit in eo apertè in platea usque ad mediam diem in conspectu virorum & mulierum sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum: & Versu 8. & legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur.*

SECTIO SECUNDA.

De Characteribus Hebraicis.

Circà hebraicos characteres duo communiter inquiruntur, primum an semper in usu fuerint apud hebræos illi characteres quos hodie hebraicos appellamus. 2^{um}. An iidem hebraici characteres puncta vocalia semper habuerint.

Quod spectat ad 1. variarunt hoc sæculo circà illud authorum sententiæ. Quidam enim ex Protestantibus non indocti probare tentarunt, nunquam ullam apud Judæos factam esse in characteribus mutationem. Sed hodie jam convenit inter omnes eruditos Israëlitarum characteres antiquitus eos fuisse quibus nunc utuntur Samaritani, quique apud Judæos in usu semper fuerunt donec post captivitatem Babilonicam ab Esdra in Chaldaicos immutati sunt. Hanc sententiam quam fusè probat Jacobus Capellus in tractatu quem de litteris hebraicis inscripsit, & Scaliger in epistolis ad Tompsonum & Hubertum & ad Eusebij annum 1657. Vossius de arte gramm. lib. 1. cap. 13. Drusius in Exodi caput 36. Grotius in notis ad librum de vera religione, & alii, paucis hic expediemus.

Probatur itaque primò ex testimonio veterum. Eusebius enim in Chronico ad annum mundi 4740. id expressè affirmat his verbis. *Fuit Esdras eruditissimus legis divinae & clarus omnium Iudæorum magister qui de captivitate regressi fuerunt in Iudæam; affirmaturque divinas litteras memoriter condidisse, & ut Samaritanis non miscerentur Iudaicas litteras immutasse.* Idem docet D. Hieronimus in prologo galeato & præfatione in libros Regum ubi sic habet, *Certum est Esdras Scribam legis & Doctorem post captam Hierosolimam & instaurationem templi sub Zorobabele alias litteras reperiisse quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Similia reperies*

apud eundem Hieronimum in Ezechielis caput 9. Denique idem confirmat venerabilis Beda citatus à Capello. Docet enim apud Hebræos nullam esse dubitationem Esdras litteras leviores sub nominibus earum quas hæcenus habuerant excogitasse, priores Samaritanis reliquisse.

Qui contrariam tuentur sententiam ut Skiccardus, Picus, & Reuchlinus, respondent, aut istos authores à Samaritanis deceptos fuisse, aut de finalibus tantùm litteris loqui, vel saltem de characteribus sacris qui in usum communem introducti sint. Sed ista omnia levia sunt. Primo enim commentitia est & nullo nixa fundamento ista quam inter sacros & prophanos characteres statuunt, distinctio. 2°. Patres apertè loquuntur de characteribus innovatis, nullatenus antea usurpatis. 3°. Quod de litteris finalibus obtrudunt apertè repugnat D. Hieronimo, qui de 23. characteribus non de quatuor finalibus loquitur. Denique quod addunt eos à Samaritanis deceptos fuisse, nequidem verisimilitudinis speciem habet. Quis enim credat Eusebium & Hieronimum qui cum doctissimis Judæorum tandiù conversati fuerant à Samaritanis hac in re decipi potuisse, si contraria Judæi sensissent. Sed tantùm abest ut ista sententia aliquid à Judæorum traditione alienum habuerit, quin è contrà consentanea sit Patribus veterum Judæorum hac in re doctrina; sic enim habent in Talmude Babilonico tractatu Sanhedrim sectione secunda. *In principio data est Israëliti lex, scriptura Hebraica & lingua sancta. Postea data est illis in diebus Esdra scriptura Assyriaca & lingua Arabica. Postea elegerunt Israëliti scripturam Assyriacam & linguam sanctam & reliquerunt idiotis scripturam Hebraicam & linguam Chaldaicam. Qui sunt illi idiotæ? Responderet R. Chasda, Cuthæi. Quæ autem scriptura Hebraica? Responderet iterum R. Chasda, scriptura Libonea per quam omnes intelligunt Samaritanam.*

Probatur 2°. eadem sententia ex antiquis numismatibus & sigillis Judæorum ante captivitatem Cusis, quarum specimina præbet Brianus Waltonus tom. 1. Bibl. poliglot. in prolegomenis ubi de monetis. Hi enim omnes litteris inscripti sunt Samaritanis. Ex quo invictè probatur characteres, quibus Ju-

dæi ante captivitatem usi sunt, alios fuisse ab iis quos assumperunt post captivitatem. Neque enim cuiquam oriri potest suspicio siclos illos à Samaritanis cusos fuisse, qui legerit eorum inscriptionem: quippe ex una parte ita habent: *Siclus Israelis*: ex altera verò: *Hierusalem sancta*. Quis enim sibi in animum inducat Cuthæos qui urbi Jerusalem infensissimi semper fuerunt, eam nihilominus in suis siclis exhibuisse & sanctam appellasse? Aut quis non videat potiùs siclos Israëlitis nomine inscriptos non Samaritanis, sed Israëlitis esse tribuendos?

Ut adversarij hoc argumentum eludant, confugiunt iterum ad suam distinctionem de characteribus sacris & profanis ante captivitatem. Sed ista cavillatio satis confutatur ex autoritatibus superius allatis: disertè enim asserunt scriptores adducti Efdram characteres sacrorum librorum immutasse; quod tamen falsum esset admissa distinctione adversariorum, qui volunt characteres hodiernos in sacris paginis ante captivitatem jam fuisse usitatos: Samaritanos verò non nisi profano usui deputatos.

Objiciunt tamen aliquos siclos reperiri hodiernis litteris inscriptos, quos ante captivitatem Babilonicam cusos nemini dubium esse potest, cum nonnulli eorum nomen & vultum Salomonis præferant; ut quoddam se vidisse testatur Skiccardus.

Respondeo nonnullos quidem siclos hodiernis litteris inscriptos reperiri, sed eos ante captivitatem cusos nullâ ratione probari posse. Certum est enim eos, de quibus Skiccardus meminit, fictitios fuisse; siquidem Israëlitis lege prohibitum erat ullius creaturæ animatæ similitudinem repræsentare, idque ab ipsis summa religione fuit semper observatum, ut passim videre est apud Josephum in libris antiquitatum, & apud Tacitum Annalium lib. 5. Quod si quis dicat eorum monetam tempore Christi Domini vultum Cæsaris prætulisse, ut patet ex Evangelio, respondetur Judæos ad id compulsos fuisse ex quo Romanis servire cæperunt; at quandiu sui juris fuerunt, omnes figuras & similitudines semper abominati sunt.

Quod ad punctorum vocalium originem attinet; alij ea consonis coæva faciunt; alij ad Mosen, alii ad Esdras, alii denique ad tempora post-talmudica eorum inventionem referunt. In primis opinionibus tuendis plerique Protestantium tum superiori tum etiam nostro sæculo ad Judæorum partes transferunt. Eoque libentiùs id præstiterunt, quò sententia ista visa est ipsis minùs favere argumentis Catholicorum, quæ pro traditione asserendâ validissima sunt contra eos qui punctorum novitatem agnoscunt, ut infra ostendetur. Nihilominùs ultimam sententiam cum Catholicis sequuntur hodie inter Heterodoxos, quotquot eruditorum nomen ambiunt. Undè ut eam stabiliamus, præcipuas rationes, quibus fulcitur, hic referre non pigebit.

Probatur itaque primò ex confutatione aliarum sententiarum: certum est enim 1.º puncta nec consonis coæva, nec à Mose inventa fuisse. Cum enim Moses & post eum omnes Israelitæ usque ad tempora captivitatis litteris his usi sint, quibus nunc utuntur Samaritani, ut suprâ probatum est: qui fieri potuit, ut puncta vocalia iis characteribus sint coæva, aut à Mose fuerint addita, cum hucusque sine istis vocalibus permaneant apud Samaritanos? 2.º. Gratis omninò & contra omnem veri speciem inventum istud ad Esdras refertur. Cum enim sedulò notarint veteres eum characteres antiquos mutasse, nunquam punctorum vocalium inventionem tacuissent, siquid saltèm de eâ ipsis innotuisset. Cum igitur nec duæ priores sententiæ, nec tertia stare possint, restat ut ultima sit omnibus præferenda.

Probatur 2.º. Ex silentio veterum tum Christianorum, tum Judæorum. 1.º. Enim D. Hieronimus, qui sæpissimè de diversâ vocum hæbraicarum legendi ratione meminit, nullibi punctorum vocalium mentionem facit. Imo sæpissimè queritur incertam esse apud hæbreos vocum lectionem, cum sæpè eadem pro ratione diversarum vocalium, quæ ad legendi arbitrium addi possunt, res omninò diversas significet. At si puncta in usu fuissent tempore D. Hieronimi, singulæ voces ad unicam lectionem fuissent determinatæ. Ergo &c. 2.º. Origenes, qui circà textum hæbraicum tam utiliter pro

Ecclesiâ laboravit, inutilem posuisset operam, dum græcis characteribus hæbraicum scripturæ textum in Exaplis expressit. Ad quid enim tantus labor, si textus hæbraicus tanta facilitate legi potuisset? 3°. Adhuc magis urget Talmudistarum & Cabalistarum silentium; cum enim Talmudici sæpe disputent de genuinâ vocum lectione & sæpe levissima circâ textum notent, nunquam omisissent, si puncta vocalia ipsis nota fuissent, quin alicubi de his differerent, aut ex illis genuinam lectionem determinarent. Cabalistæ verò, quorum superstitiones & ineptiæ ex litteris & characterum conformatione petuntur, ne verbum quidem de punctis vocalibus proferunt.

Probatur 3°. ex praxi & testimoniis Judæorum. Praxis enim eorum est, ut codices qui in Synagogis leguntur, sint absque punctis, accentibus & versuum distinctione. Quod aliud nequit habere fundamentum, nisi quia credunt communiter primum Mosis codicem sic exaratum fuisse. Judæorum verò doctissimi Elias levita & Aben-Eira, ille in lib. de Masora, hic in libro elegantiarum, apertè docent primam punctorum inventionem Tyberiensibus magistris deberi. Hæc sunt verba Aben-Eiræ: *sapientes Tyberiadis pro norma & canone lectionis habendi sunt, quia ab iis sunt Masorotæ, a quibus totam punctationem accepimus.*

Confirmatur ex versione septuaginta interpretum, quâ constat ideò multis in locis eos aliter vertisse quàm habeatur in textu hodierno, quia aliter legerunt, quam Masorotæ, puncta vocalia apponendo, postea determinarunt.

Obji. Sublatâ punctorum autoritate divinâ, quæ lectionem ex se ambiguum ad unum sensum determinet, Scriptura nihil nisi obscurum & incertum continebit: atqui hoc repugnat providentiæ & bonitati divinæ, quæ dum sua arcana voluit hominibus manifestare, eo modo, qui ab hominibus posset percipi, præstare debuit.

Resp. Hanc objectionem eos tantùm tangere, qui negatâ traditione soli textus sacri litteræ adhærent, ut faciunt nostrates hæretici: sed Catholicos in nullo lædere. Hi enim quemadmodum Scripturæ sensum, sic etiam modum ipsum legendi

legendi Scripturam ex traditione repetendum censent : undè cum nulla essent puncta , genuina cujusque vocis lectio ex traditione addiscebatur ; proindèque non minus certa erat lectio licet difficilior , ac si puncta vocalia cuilibet voci adjuncta fuissent. Adde Scripturam tunc temporis non fuisse penitus destitutam vocalibus , siquidem quatuor litteræ Aleph, Vau, Jod, & He in multis vocibus supplebant vices vocalium ; sic que difficultatem aliquatenus minuebant.

QUÆRITUR I. Quo tempore & à quibus puncta Vocalia reperta sint.

Resp. 1. Inventionem illam Tyberiensibus magistris vulgo tribui , nullam tamen certam proferri posse rationem vel auctoritatem , quâ illis hoc inventum tribuatur , nisi quia auctores extiterunt utriusque Masoræ , quarum partem facere puncta vocalia vulgo creditur.

Resp. 2. Minus adhuc certò definiri posse tempus , quo celebris ista punctorum additio sacro textui facta est. Tot enim ferè sunt hâc de re opiniones , quot alicujus nominis auctores. Plerique quos Waltonus sequitur , existimant eam ad finem quinti aut initium sexti sæculi sive ad annum Christi circiter quingentesimum esse assignandam : sed nullum aliud habent suæ sententiæ fundamentum , nisi quod Tyberiensis magistri , à quibus istam additionem factam putant , tempore D. Hieronimi celebres esse jam ceperant , ut ex sancto Doctore constat. At non sequitur quod Academia , quæ multis post Hieronimum sæculis adhuc viguit , potius circà ævum ejus , quàm sequentibus sæculis opus istud perfecit. Quidam ut Simonius octavo circiter labenti sæculo inventionem istam assignant. Dicunt enim , quod satis probabile est, Hebræos puncta vocalia ab Arabibus mutuatos fuisse : idque vel inde patet , quod omnia punctorum vel accentuum nomina Arabica sint. Atqui Arabes octavo sæculo scilicet circà Omari ætatem puncta vocalia Alcorano addiderunt. Ergo &c. Sed ut fateamur puncta vocalia ab Arabibus desumpta esse ; non tamen sequitur id eodem factum tempore à Judæis , quo primum à Mahumetanis usurpata sunt.

Alii ut Joannes Morinus 2. parte exercitat. Biblic. Exercit.

12. c. 7. n. 8. contendunt punctorum inventionem noni sæculi finem aut initium decimi non præcessisse, à quâ sententiâ non longè abest Isaaccus Vossius in dissertationibus adversus Simonium cum huic punctorum usui non nisi sexcentos circiter annos tribuit. Suam autem sententiam probat Morinus ex diversis Judæorum in Scripturam observationibus, in quibus nullum punctorum vestigium reperitur. Primò enim nulla in toto Talmude fit eorum mentio; atqui Talmud ante annum 800. absolutum non fuisse probat idem Morinus ex multis quæ in eo continentur. Secundò tractatus Sopherim, quem Talmude posteriorem probat Talmudis ipsius de eo silentium, etiam de punctis omninò tacet. Tertio priores lucubrationes Masoretharum, tum etiam diversæ lectiones Orientalium & Occidentalium quarum pleraque eodem Talmude posteriores, præter ipsius silentium probat longè major numerus diversarum lectionum & annotationum, quàm in Talmude reperiantur, ne verbum quidem de punctis habent. Hoc autem eò magis observandum, quò plerumque de solis minutiis tractant, ut de numero, figurâ & inversione litterarum, de diversis lectionibus & cæteris ejusmodi. At si tùm in usu fuissent puncta vocalia, nunquam omisissent, quin suas lucubrationes ad illa etiam extenderent, & Keri & Ketib circa illa annotarent: nisi quis contendat Amanuenses qui in vocibus integris sæpè cespitarunt, in punctis apponendis fuisse omninò ἀνάμαρτους. At istis omnibus lucubrationibus quinquaginta saltèm anni tribuendi sunt à confecto Talmude; proindeque statuendum circa annum 850. puncta necdum fuisse apud Judæos usitata. Jam verò cum in lectionibus ben Nephtali orientalis, qui labente sæculo decimo florebat, multæ observationes circa puncta vocalia reperiantur; statuendum est intermedio tempore puncta vocalia fuisse à recentioribus Masorethis apposita, consequenterque eorum inventionem ad finem noni sæculi vel initium decimi esse referendam. Hæc Morini sententia ut firmioribus nixa rationibus cæteris præferenda videtur. Sunt tamen, ut nihil de diversis circa hanc questionem opinionibus omittamus, qui punctorum ulum longè antiquiorem

indè concludunt, quod Caraitarum secta antiquissima apud Judæos, quæ omnes omninò traditiones à Judæis inventas respuit, nihilominùs puncta vocalia receperit. Sed huic rationi responderi potest Caraitas non ob antiquam traditionem, sed ob summam utilitatem puncta vocalia recepisse.

QUÆRITUR secundò quid ex statuta punctorum novitate pro Catholicis inferri possit adversus Heterodoxos?

Respondeo, hinc firmissimo argumento negatam ab his traditionem stabiliri. Enimverò si ante sex aut septem sæcula vocales apud Judæos in usu non fuerint, cum Scriptura absque vocalibus legi nequeat, quis non statim videt genuinam sacri textus lectionem aliunde quam ex traditione disci non potuisse? Nec dicas quatuor litteras supra dictas vocalium locum habuisse; ut ut sit enim de istarum litterarum usu, certum est plures voces nullam ex illis habuisse, cum tamen pronuntiarì deberent; plures vero è contrà aliquas habuisse quæ pronuntiarì non debebant in quibus proinde ad traditionem necessariò confugiendum erat, ut Protestantes ipsi fateri coguntur.

DISSERTATIO TERTIA.

DE TEXTU HÆBRAICO
veteris & Græco novi Testamenti: utrum
alteruter aut uterque fuerit unquam mali-
tiosè & datâ operâ depravatus.

QUÆSTIO est potissimum de textu Hæbraico veteris testamenti: circa quam plerique doctores catholici tam dogmatici quam scolastici, non nulli etiam critici affirmativam tenent, Judæosque meditatæ depravationis sacrorum codicum insimulant. His adstipulantur etiam aliqui ex reformatis qui idem crimen Judæis objiciunt. At è contrario ferè omnes emunctæ naris Critici, & ex scholasticis ipsis cordatiores, Judæos ab hoc scelere eximunt; quorum sententia præ cæteris nobis arridet, ideoque ejus fundamenta primò referemus; deinde adversariorum obiectionibus satisfaciemus.

Probatur itaque primò : si Judæi Scripturæ textum malitiòse corruerint ; vel id facinus ante Christi adventum admitterunt , vel post ejus adventum . At id eos ante Christi adventum egisse , quis credet ? Nullum habebant sacro textu pretiosorem thesaurum , cum à Deo inspiratum credebant , & ut ipsum Dei verbum venerabantur , unicum erat eorum Religionis & reipublicæ fundamentum : eo denique omnis spes illorum nitebatur . Quî ergo fieri poterat , ut tam eximium suæ antiquitatis monumentum ex industriâ depraverent , & divinum istud depositum gratis à se abjicerent ? Deinde si sacrilegium istud ante Christi Domini adventum commisissent , quomodo Christus Dominus , qui multa alia minus gravia Scribis & Pharisæis exprobravit de tanto scelere tacuit ? An fortè quia crimen istud ignoravit ; aut cognitum lenius quam ut illis objiceretur judicavit ? Præterea idem ipse Christus non solum Judæis istam corruptionem non exprobravit : sed è contra Scripturam eorum approbavit ; cum & eam Synagogis exposuit , & in concionibus sæpissimè laudavit , & Judæos circa ipsum hæsitantes ad eam remisit : ac denique Scribas & Pharisæos scripturam docentes audiri præcepit . At si Scriptura tunc temporis à Judæis jam depravata fuisset , Christus Dominus istis omnibus eos magis in errorem induxisset ; persuasisset enim Scripturam quam tanti faciebat , & tantum laudabat esse incorruptam .

Jam vero non minus certum est corruptionem istam post Christi Domini adventum non accidisse . Si enim Judæi post Evangelii promulgationem voluissent aliquid in suis codicibus depravare ; id egissent maximè circa Prophetias , quæ Christum Dominum verum Messiam demonstrant . Atqui tantum abest , ut eas eraserint è suis codicibus , aut immixta corruptione enervarint ; quin è contra plerumque contingit , ut notat Bellarminus , quod Prophetiæ magis urgent Judæos in Hæbraico textu , quam in versionibus . Deinde si Judæi primis Ecclesiæ sæculis textum Hæbraicum depravassent , cum vulgata versio ad illius normam facta sit , illique ut plurimum ad amissim respondeat , sequeretur Catholicos non habere sinceram scripturam , & Tridentinos Patres vehementer errasse ,

cum vulgatam versionem Ecclesiæ proposuerunt, & authenticam declararunt. Porro conformitas vulgatæ cum Habraico textu hodierno, satis demonstrat eam post D. Hieronimi tempora non esse corruptam.

Præterea si Judæi à tempore Christi Domini voluissent Scripturas depravare, quomodo id à primis Christianis non fuisset animadversum: quomodo si animadversum in Judæis non fuisset reprehensum: aut saltem ab iis qui à Judaismo ad fidem convertebantur non fuisset exprobratum? Denique & si gratis supponeremus Judæos omnes suos codices potuisse depravare & voluisse: quâ fieri poterat ut etiam eos omnes qui à Christianis servabantur pari modo depravarent? id certè fidem omnem superat. Certum igitur maneat & inconcussum Judæos Scripturam sacram numquam depravare voluisse, nec si voluissent potuisse.

Probatur secundo tum ex divinâ providentiâ, tum ex studio Judæorum erga Scripturam. Ex providentiâ quidem, Deus enim ideo, juxta sanctos Patres, Judæos per universum orbem dispersit, ut eorum circa libros sacros testimonio Religio nostra firmaretur. Unde D. Augustinus ait in Psal. 56. *Judæi tanquam casarii nostri libros nostros circumferunt, ut cum Pagani non credunt quæ nos de Christo predicta fuisse dicimus, quasi à nobis essent conficta; mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos qui libros nostros circumferunt in quibus eadem habentur quæ nos predicamus.* At si Judæi Scripturas depravassent non potuissent Patres ad eos provocare, nec eorum testimonium Ecclesiæ profuisset; sed obfuisset magis, cum Pagani de Prophetiarum veritate dubitabant. Debit ergo divina providentiâ invigilare ne malitia Judæorum eos ad sacri textus corruptionem impelleret. At id eam præstitisse clarum est, vel ex solo studio quod Judæi erga Scripturam sacram exhibuerunt: tanta enim fuit quâ sacros codices colebant reverentia, & tanta quâ eos exscribebant *ἀκριβῆς* ut ex Josepho libro 1. contra Appionem, & Philone apud Eusebium lib. 8. capit. 7. & 8. Judæi mortem optetere potius eligerent, quam vel unum Legis apicem mutarent aut adulterarent. Unde tradunt Rabbini, quod si quando uni-

cum erratum in aliquo Legis codice deprehendunt, codicem illum pro illegitimo damnant, & abjiciunt. Nec libros incorrectos servari patiuntur ultra triginta dies; eos vero, qui ultra quatuor errores continent sepeliendos volunt cū probis hominibus.

Confirmatur ex eo quod Apostoli & Evangelistæ sæpe laudarent loca veteris testamenti juxta textum Hæbraicum, etiam iis in locis quibus ab eo discrepat versio τῶν ὁ. Si ergo corruptioni deputentur loca in quibus aliter habetur in Hæbraico textu, ac in versionibus, dicendum erit Apostolos eodem modo loca Scripturæ adduxisse, quo sciebant à Judæis postmodum esse depravanda: quod cum nimis absurdum sit & impium, concludendum est textum Hæbraicum nusquam & nunquam à Judæis ex industriâ fuisse corruptum.

Probatur 3. ex sanctis Patribus, qui passim docent in dubiis recurrendum esse ad originarios textus; eosque omnibus versionibus, ubi diversitas occurrit, esse præferendos. Ita docent auctor Sermonis ad Gentes sub nomine Justini martyris, D. Hieronimus in caput sextū Esaiæ, & in epistola ad Suniam & Fretellam. D. Ambrosius libro de Spiritu sancto capite 6. D. Augustinus libro 15. de civit. cap. 13. lib. 18. cap. 44. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. ij, Cassiodorus Divinarum lectionum cap. 15. Gregorius magnus, &c. At si textus originarii tempore sanctorum Patrum depravati fuissent, falsa esset eorum regula, nec sine injuria potuissent nos remittere ad fontes quos novissent esse vitiatos.

Probatur 4. quia si textus sacer ex industria fuisset aliquando corruptus, potuissent, qui hætenus omnem moverunt lapidem, ut Judæos isto crimine reos agerent, tempus hujus depravationis deprehendere, & aliquas tam celebris Historiæ circumstantias annotare; aut saltem aliqua depravationis istius exempla assignare: quorum cum nullum hætenus præstare potuerint, indicium est manifestum nullam ejuscemodi depravationem factam unquam fuisse: nec sine manifesto calumniæ periculo tam grande scelus Judæis imponi posse. Sed ut hæc ultima probatio majores habeat vires, occurrendum est adversariorum objectionibus. Itaque.

Obj. 1. Plurima loca sanctorum Patrum, qui disertè affir-

mant Judæos datâ operâ sacros codices vitiaſſe: ergo ex ſentiâ ſanctorum Patrum textus Hæbraicus eſt corruptus. Ita Juſtinus martyr in dialogo cum Tryphone. Iræneus lib. 3. cap. 24. Tertull. lib. de habitu mulierum cap. 3. Eufeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 18. Chriſoſt. Homil. 5. in Matth. Origenes Homil. 22. in Jeremiam, Hieron. in cap. tertium Epiſto- læ ad Galat. & alii.

Reſpondeo, malè à Morino tot Patrum authoritates adduci ad probandam textus hæbraici corruptionem, cum nullus ex iſtis Patribus de illo agat. Quod ut manifeſtum fiat omnibus, reſpondetur 1°. ad Sanctum Juſtinum, illum non agere de textu hæbraico, ſed tantùm de verſione τῶν ὁ, quam à Judæis depravatam queritur, ut legenti patebit. 2°. ad Sanctum Iræneum, nullatenus eum aſſerere Judæos Scripturam depravaſſe: ſed tantùm eos verſionem τῶν ὁ depravatu- roſ fuiſſe, ſi utilitatem quam Eccleſiæ allatura erat prænoviſſent. 3°. ad Tertullianum, nihil aliud eum velle, niſi Judæos quosdam Scripturæ libros reſecaſſe ex ſuo canone, & ſuâ negligentâ amiſſiſſe, de quo hic non agimus. 4°. Origenem agere de verſione τῶν ὁ, in quâ hunc locum Jeremiæ: *peccatum Iuda conſcriptum ſtylo ferreo in ungue Adamantino quem purum in hæbraico textu reperiri notat, depravatum eſſe queritur.* 5°. D. Hieronimi conjecturam pro corruptione iſtius loci: *Maledictus qui non permansiſit in omnibus &c.* levem eſſe: certum eſt enim eundem omninò ſenſum eſſe, ſive legas locum iſtum cum voce, omnibus, ſive iſtam vocem omittas. Cæterùm nemo certè aſſeret D. hieronimum malè de textu hæbraico ſenſiſſe, aut illum corruptum putaviſſe. 6°. ad Sanctum Chriſoſtomum eum Judæorum nomine Symmacum & Aquilam intelligere, quos Scripturam in ſuis verſionibus depravaſſe inſimulat. 7°. denique ad Eufebium non aliam ejus eſſe ac D. Juſtini mentem, cum ſimpliciter referat Judæos, iſtius depravationis ab eo convictos eſſe.

Obji. 2°. Pleraque Scripturæ loca quæ in hæbraico textu videntur eſſe corrupta: primus petitur ex Genef. 4°. ubi truncatæ ſunt duæ voces, *Egrediamur foras*, quas tamen teſtantur Hieronimus & Cyrillus in *Samaritano codice* ſuo tempore jam

lectas fuisse & in editione τῶν ἰ nec non in vulgatâ reperiri constat. Secundus petitur ex psal. 13.º in quo desunt in hebræo tres versus, qui tamen ab Apostolo citantur in Epist. ad Rom. nimirum Sepulchrum patens &c. Tertius locus petitur ex psal. 18.º ubi versus 5.º sic habetur in hebræo; In omnem terrâ exivit *linea eorum*. Atqui ex Apostolo in eadē Epistolâ constat legendum, *sonus eorum*. Quartus, desumitur ex psal. 21.º ὕ. 17.º ubi ita habetur: sicut *Leo manus meas & pedes meos*; cum ex Evangeliiis constet legendum: *Foderunt manus meas &c.* Quintus locus habetur Genes. 49. ὕ. 10. ubi pro eo quod in vulgatâ legimus, donec veniat qui mittendus est, reperitur in hebræo, donec veniat Scilo corruptione manifestâ. Hæc autem posteriora loca notatu eo digniora sunt, quo apertam continent depravationem in duabus prophetiis quæ Christum respiciunt: negari enim non potest quin Judæi ex industriâ ista loca depravarint ut prophetias de Christo expungerent.

Respondeo in nullo istorum locorum malitiosam depravationem posse argui, ex quâ inferre liceat Judæos manus sacrilegas in textum hebraicum misisse, quod ut manifestum fiat, opus est ad singula loca respondere.

Itaque ad primum locum respondeo nullam notari posse depravationem: ad summum enim si voces istas pro textu sacro habendas certum esset, dicendum foret eas librariorum negligentia & oscitantia fuisse omittas, proindeque sphalma quidem, sed neutiquam corruptionem indicare. Sed incertum est an illæ voces pro genuino textu habendæ sint, id enim negat D. hieronimus in quæstione ad Genesim ubi ait: *& dixit Caim ad Abel fratrem suum*, tubaudi ea quæ locutus est Dominus. Superflua sunt ergo hæc verba. *Eamus foras*. Ita D. hieronimus. Eodem modo exponit Aben Ezra: consentit etiam paraphrasis Chaldaica, quæ voces illas non habet: & inde est quod Lyranus negat eas esse de textu.

Ad secundum respondeo cum D. hieronimo & Bellarmino versus istos non esse ex hoc psalmo ab Apostolo citatos, sed ex diversis Scripturæ locis collectos, ut docet Origenes in epistolam ad Romanos, illos autem postmodum intrusos in hunc psalmum fuisse; hinc etiam colligitur, quod nullus Græcorum

Græcorum Patrum , eorum qui psalmos exposuerunt , horum versuum in isto psalmo mentionem fecerit.

Ad tertium respondeo nullam hic annotari posse corruptionem , sed tantum diversam lectionem , vel potius diversam punctorum appositionem : vox enim hebræa , *Kau* , tam sonum quam lineam significat : hebræi autem posteriorem priori prætulerunt ; cum tamen ex contextu satis pateat primam omnino esse præferendam. Adde quod utraque lectio in eundem sensum recidit , si per lineam cum Aben Ezra scripturam intelligas.

Ad quartum , respondetur , hic etiam errorem ex diversâ lectione provenire : nam etsi reverà in textu reperiatur vox , *Caaru* , sicut Leo , nihilominus jam pridem annotarunt Masoretæ ad Numerorum vigesimum quartum v. 9. in margine reperiri , *Caari* , foderunt , quam esse genuinam lectionem patet ex contextu , ut nonnulli Judæorum magistri fatentur , videlicet Jacob Ben-chaiim , & Joannes Isac. lib. 2°. adversus Lydanum. Nihil igitur aliud ex hoc loco elici potest , nisi quod dum diversâ lectio in sacro textu occurrit , eam solent eligere Judæi , quæ Christianis minus favet. Hoc autem libenter fatemur , sed inde non conficitur eos etiam ubi nulla lectionum diversitas occurrit , sacrum textum depravare.

Ad quintum denique , respondetur accusationem de admisâ hic corruptione , manifestam esse calumniam , siquidem tria Targumina vocem hebraicam , scilicet , disertè Messiam interpretantur : nec immeritò , ut alibi ostendemus , cum agemus de prophetiâ Jacob circa Messiam.

Obji 3°. magnam differentiam in plerisque locis annotari inter hæbraicum textum , & antiquas versiones , præcipuèque eam quæ est *טאן* , ex quâ inferunt hodiernum textum Judæorum esse corruptum : non enim aliundè , inquirunt , procedere potest tanta diversitas , quam ex eo , quod antiqui hæbræorum codices differrent ab hodiernis ; ex quo necessariò sequitur , hodiernos esse depravatos.

Resp. negando diversitatem illam ex corruptione hæbraici textus provenire : Multæ sunt enim aliæ causæ ex quibus orta

est illa diversitas. Primò ex vario Interpretum genio, qui prout accuratiores fuerunt, aut minùs accurati, doctiores aut minùs docti, cautiores aut minùs cauti; aliter & aliter eundem textum verterunt. Secundò ex diversis variorum codicum lectionibus, quarum sæpè unam antiqui, alteram recentiores sequuti sunt. 3°. Ex unius ejusdemque vocis variâ expositione, pro variâ punctorum appositione: sæpè enim septuaginta Interpretes aliter legerunt quàm Masorethæ punctis additis legendum indicarunt. 4°. Ex ignorantia & oscitantia librariorum, qui diversas lectiones in utrisque codicibus suâ culpâ multiplicarunt. 5°. Ex eo quòd imperitiâ & audaciâ scribarum pluribus nævis & maculis etsi levioribus, resperfa sint ipsa textus originalis exemplaria. De quibus omnibus fusè agit Ludovicus Capellus in Criticâ sacrâ, qui tamen hodierno textui paulò iniquior est.

QUÆRITUR I°. quid sentiendum sit de textu Græco novi Testamenti?

Respondeo easdem ferè rationes quibus probatum est Hebraicum textum nunquam ex industriâ fuisse corruptum, etiam pro textu græco novi testamenti militare. Quemadmodum enim impossibile erat Judæis scripturam suam corrumpere, quin statim eorum improbum facinùs deprehenderetur: sic etiam & multò magis Christianis impossibile fuit novum Testamentum vitare; quin statim fraus corruptorum patefieret Ecclesiæ Doctoribus, & ex antiquiorum Codicum fide convinceretur, ut notat D. Augustinus lib. 32. contrà Faustum cap. 16. confutans Manichæorum calumniam, quâ fingebant novum Testamentum ab initio nascentis Ecclesiæ ab hominibus semi-Judæis depravatum fuisse. Id etiam pro Græco novi testamenti facit, quod in Breviario Romano, inter egregia divi Hieronimi facinora, id ei etiam laudi tribuitur, quod novum testamentum Græcæ fidei reddiderit: fatendum enim indè est quod tunc perseverabat adhuc integer & incorruptus novi testamenti textus. At fortè post D. Hieronimi tempora contigit ista corruptio. Sed I°. quâ fuit possibile infinita per totum orbem resperfa exemplaria corrumpere? 2°. Cur id Græcis Latini nunquam exprobrarunt, si à Græcis

orta est depravatio ? Aut cur idem silentio prætermiffum est à Græcis , fi corruptio Latinos habuit authores ? 3°. In Concilio Florentino ubi diffidia Græcorum cum Latinis agitabantur , altum fuit de iftâ corruptelâ silentium. 4°. Cur Leo decimus versionem Eraſmi ad Græcum factam non ſolum approbavit , ſed ſuis etiam laudibus proſequutus eſt ? 5°. Denique cur codices manuſcripti , qui Hieronimi ævo æquales ſunt , cum aliis poſterioris ætatis , & verſio Syriaca , quæ Hieronimo etiam antiquior eſt , ferè ubique cum Græco conveniunt iis in locis quibus vulgata ab eo differt ? Quis ergo non miretur quorundam recentiorum iudicium , qui ſola vulgatæ verſionis authoritate freti , quoties quidpiam ab eâ diverſum in Græcis Codicibus repererint , eos corruptelæ inſimulare non erubescunt ?

QUÆRITUR 2°. An ex textu Hæbraico veteris , & Græco novi teſtamenti utriuſque fæderis verſiones ſint ſemper corrigendæ ?

Reſpondetur 1°. Nonnullos authores , ut Ludovicum Ferrandum celeberrimæ expoſitionis in Pfalmos authorem , quamvis Judæos meditatæ Scripturarum depravationis non incuſent , exiſtimare tamen textum hæbraicum nescio quâ temporum injuriâ vel hominum incuriâ tot mendis & erroribus ſcatere , ut , ſi ipsis credimus , potiùs ipſe ex verſionibus , quàm verſiones ex ipſo corrigendæ ſint.

Reſpondetur 2°. Quod licet nullus poſſit diſſiteri , quin multos habeat nævos uterque Scripturarum textus , in quibus norma verſionum eſſe nequit : univerſim tamen loquendo ſtandum ſit antiquorum Patrum iudicio , qui ſtatuertunt in dubiis ei potiùs linguæ credendum undè eſt in aliam facta tranſlatio. Enim verò ſi varii errores , qui in libros Ciceronis , Virgillii , Horatii &c. irreperunt , non prohibent quominùs latini eorum codices pro genuinis & authenticis Scriptorum iſtorum textibus , ab omnibus habeantur ; & ex illis , quotquot in aliam linguam factæ ſunt verſiones examinentur : cur non eodem gaudebunt privilegio ſacrarum ſcripturarum libri ; præſertim cum diverſæ lectiones & nævi ut plurimum frequentiores ſint apud prophanos authores , quàm apud ſacros ?

At, inquires, major cura de versionibus, quàm de textu habitata est; proindè emendatiores esse debent versionum quàm textuum codices. Imò quidquid sit de habitâ utrorumque curâ, cum multò sæpiùs & frequentiùs versiones in manibus scribarum fuerint, quàm textus, ac illarum codices in majorem numerum excreverint, majori etiam diversarum lectionum numero ac pluribus navis respergi debuerunt versiones. Concludendum est igitur cum divo Hieronimo in Epistolâ ad Lucinium (cujus sententia in Jus Canonicum translata est) quod *ut librorum veterum fides de hæbrais codicibus examinanda est, ita novorum veritas græci sermonis normam desiderat. Ne, ut idem ait in epistolâ ad Suniam & Fretellam (si aliter fiat) quidquid de fonte proficiscitur hoc queramus in rivulis.*

Duo tamen hic notari velim. Primum est quod etiamsi nonnunquam iis in locis quibus à textu discrepant versiones, omnes codices hæbraici in eâdem lectione conveniant, non statim certâ & infaillibili lege sequitur versiones ad normam textus esse corrigendas. Quandoque enim contingit diversitatem indè provenire, quod aliam vocem in codicibus sui temporis legerint Interpretes, quàm legatur in hodiernis, quod tùm ex affinitate vocum, tùm ex serie versiónum deprehendi potest. Secundum est diversitatem istam interdum etiam proficisci ex eo quod unam eandemque vocem aliter legerint Interpretes, quàm punctis additis legendum notarint Masorethæ; quod facillè quisque linguæ Hebraicæ peritus advertere potest. His porrò in casibus, neque hodiernis codicibus statim acquiescendum est: neque vicissim veteres ob solam antiquitatem præferendi. Sed res priùs juxtâ severioris criticæ leges discutienda est; ac tunc demum, quæ plures melioris lectionis notas habuerit, præferenda.



DISSERTATIO QUARTA.

DE PENTATEUCHO

Samaritano : de versionibus ejusdem Pentateuchi , & Samaritanorum Religione.

CUM post Hebraicum Judæorum codicem , nihil in sacris litteris antiquius sit Samaritanorum Pentateucho , congruum videtur quæstiones , quæ de ipso moveri possint , hæbraici Judæorum textus tractationi subjungere. Ut igitur id aliquo exequamur ordine , 1.º de ejus sinceritate & auctoritate , postmodum de diversis ejus versionibus agemus. Quia verò Religionis Samaritanorum , diversorumque ejus statuum notitia , non parum lucis huic materiæ afferre potest : ideò nonnulla quæ ad Samaritanorum tum veterum , tum recentiorum historiam pertinent , subnectemus.

Quod igitur spectat ad primum , sciendum est Jacobum Usserium Armacanum in Epistola ad Lud. Capellum , in quâ de variis textus hæbraici lectionibus disputat , docere , eum quem nunc habemus Samaritanum Pentateuchum , non illum esse hebraicum Scripturæ textum à Moïse scriptum , Judæisque traditum : sed farraginem quamdam scripturæ , partim ex hebraicâ , partim ex græcâ editione conflata à Dositheo quodam Samaritano Simoni mago coætaneo ; qui ut refert Origenes lib. 1. contra Celsum , & tractatu 27. in Matth. suis persuadere voluit se illum esse Christum à Moïse prænuntiatum.

Suam autem sententiam probat Usserius 1.º ex Sinodo Alexandrinâ sub Eulogio Patriarcha , quæ à Photio refertur in bibliothecâ codice 230. in qua de isto Dositheo asseritur quod infinitis diversisque generis corruptelis Mosaicam legem Pentateuchi adulterarit.

Secundò ex multiplici depravatione ætatis Patriarcharum

post diluuium; tam post *παρονομίαν* quàm antè.

Tertiò ex transpositionibus versuum ab uno libro Scripturæ in alium, & ab uno capite in aliud: quæ pluribus in locis in Pentateucho isto reperiuntur: ut Exodi 20. v. 17. Deuter. 5.º v. 2. Genes. 42. v. 16. &c.

Quartò ex manifesta depravatione quâ Deuteromii 27. v. 4. pro monte Ebal, mons Garizim substituitur, ut ipsius auctoritate Scripturæ, si superis placet, Samaritanorum schisma vindicetur. Alii addunt etiam nonnulla loca in quibus cum Hebraica lectio difficultates penè insuperabiles contineat, è contrariò Samaritana lectio sensum reddit perspicuum, ac difficultatem omnem adimit. Hinc autem corruptionem claram reddi docent, quòd plerique antiquorum Patrum in istis locis exponendis diu multumque desudarint; nec tamen ad Samaritani codicis, qui ipsis ignotus esse non poterat, præsidium confugerint. Exempla autem horum proferunt. Exodi 12. v. 40. ubi cum in hebræo habeatur: *habitatio autem filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto, fuit 430. annorum.* In Samaritano ad elevandam difficultatem additum est, *ipsi & patres eorum.* Sic etiam Geneseos 12. versu 26. ubi in omnibus codicibus legitur: *vixitque Thare septuaginta annis & genuit Abraham, Nachor, & Aram.* In Samaritano pro septuaginta legimus centum triginta, quo numero nulla superest in hujus loci expositione quæ alioqui gravissima est difficultas. Et hæc quidem sunt, quæ adversus Samaritani codicis sinceritatem proferuntur.

Verùm aliam ac prorsus contrariam viam init Joannes Morinus, tum in præfatione ad editionem Parisiensem septuaginta Interpretum, tum maximè in exercitationibus ad Pentateuchum Samaritanum: non solùm enim negat contra Usserium codicem istum ex hebræo græcoque mixtis confarcinatum & mera libidine depravatum fuisse: sed insuper addit, eum ita in omnibus verum ac genuinum Moysis codicem ad amissim repræsentare; ut hebraico Judæorum codice, quem ex contemptu passim Masorethicum appellat, multo sincerior sit ac purior. Sic autem suam sententiam probare conatur.

Pentateuchus Samaritanus ab antiquissimis Patribus sæpè laudatus est, ut ab Eusebio, Diodoro Tarsensi, Hyeronimo, Cyrillo Alexandrino, Procopio Gazæo, Syncello, & aliis. Ergo ab illis pro sincero Scripturæ libro, non pro Dosithæi figmento habitus est. Ac consequenter cum ex locis ab iis citatis appareat hodiernum codicem illum ipsum esse, quem Patres habuerunt, rectè etiam infertur, hodiernum esse genuinum & sincerum veteris testamenti exemplar.

Secundo ex verbis divi Hieronimi quibus in prologo Galeato asserit quod *Samaritani Pentateuchum Moysis totidem litteris ac Iudæi scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes*, legitimè concluditur, quod cum hodiernus Judæorum codex in multis à Samaritano discrepet, necesse est hebraicum à Masorethis vitiatum fateri, proindeque Samaritano minus sincerum.

Tertio ex Georgio Syncello, qui in Chronico pagina 83. asserit, Samaritanorum codicem vetustissimum esse, & longè diversis characteribus exaratum, quem verum & primum esse Judæi consentunt. Ex quo conficitur, quod non solum ex Syncelli iudicio, sed etiam ex Judæorum illius temporis calculo, Samaritanus codex Judaico præferendus est.

Quarto denique ex multis vocibus, quæ cum sint in hebræo defectuosæ, ut ipsi Masorethæ annotarunt, in Samaritano plenè leguntur & integrè, quod ultimum valdè urget Morinus, ut inde suo Pentateucho autoritatem conciliet supra hebraicum.

Sed ut mentem nostram circa dissidium istud aperiamus, videtur hæc utraque sententia in excessum ire. Usserii quidem cum asserit Pentateuchum Samaritanum Dosithæi fictitium opus esse ex hebraico græcoque codice conflatum. Morini verò cum asserit eundem Pentateuchum hæbraico in omnibus esse præferendum. Itaque probat quidem Usserius aliquos Samaritanorum codices à Dosithæo fuisse vitiatos: sed non probat istam depravationem in omnes codices pervasisse, aut hodiernum Pentateuchum à corruptis Dosithæi codicibus non differre. Contrarium vero Morinus veterum Patrum auctoritate abundè comprobatur. Probat etiam sufficienter Uss-

rius, Samaritanum codicem non ita sincerum esse, quin aliquibus in locis ex industria depravatus sit & immutatus, præsertim cum Morinus inficiari nequeat substitutionem montis Garizim pro monte Ebal depravationem esse: neque etiam diffiteatur multis in locis aliquos versus de industria esse transpositos. Sed minimè probat Usserius istum Pentateuchum iis locis quæ proferuntur, & aliis paucis exceptis, in reliquis textus sacri sinceritatem non referre, præsertim cum sæpe numero levissimè tantum, & in rebus nullius momenti ab Hebraico differat: sæpius verò cum eo conveniat.

Ex altera parte excedit Morinus cum ita effert istum Pentateuchum, ut non solum Judaico multò superiorem faciat; sed eos omnes, qui non statim idem præstiterint infenso & furioso in Religionem Catholicam animo esse, affirmare non vereatur. Quasi vero præjudicata Morini opinio possit esse articulus fidei, aut Ecclesia Catholica, cui codex Hebraicus nullatenus contrarius est, absque Samaritanorum Pentateucho non possit subsistere? Sed unde tandem paradoxum istud, probat Morinus? ex sanctis Patribus, inquit, qui Pentateucho illo usi sunt. Ac eorum usus probat quidem librum non esse adulterinum Scripturæ textum; Sed eum supra Hebraico-Judaicum, quem multo sæpius iidem Patres laudaverunt, efferendum esse non probat. Frustra etiam adducitur Hieronimi auctoritas, cum nihil aliud dicat, nisi Samaritanos sicut & Judæos 22. characteribus uti; neutiquam verò textum Samaritanum à Judaico sui temporis nunquam fuisse diversum, cum è contrario multis in locis varias inter utrumque diversitates idem sanctus doctor annotaverit. Georgii Syncelli locus innuit solum antiquiores esse Samaritanorum, quàm Judæorum characteres; sed de ipsius textûs antiquitate non loquitur.

Denique quod de vocibus deficientibus & variis lectionibus adducit Morinus, probat potius Masorethas maximum adhibuisse studium ut editionem suam accuratam & sinceram redderent; cum & omnes varias lectiones annotarint; & vel unam litteram textui addere, aut ex eo detrudere religioni duxerint. E contrariò verò certum est ipso Morino fatente

Samaritanos

Samaritanos pluribus in locis textum sacrum multipliciter immutasse.

Rejeto itaque utriusque sententiæ excessu mediam viam inire debemus, ac statuere Samaritanum Pentateuchum magnâ saltèm ex parte sincerum esse ac genuinum Moysis textum Hebraico coequandum: sed eum antiquam textus puritatem, illibatam in omnibus servasse aut Hæbraico præferendum esse, concedere non possumus.

Quod spectat ad hujus Pentateuchi antiquitatem, quidam ut Henricus Hottingerus in Exercitationibus Antimorinianis, quò faciliùs Hæbraicum textum extollant, & Samaritanum deprimant, contendunt Pentateuchum istum post Esdræ tempora à Samaritanis ex codice Judaico fuisse descriptum, hocque ex eo probare contendunt, quod sæpè in Samaritano textu littera Aleph & Ain, He & Het invicem commutentur; quod aliundè quàm ex similitudine istarum litterarum in hodiernis Judæorum characteribus provenire non posse arbitrantur, cum in Samaritanis characteribus figuras habeant omninò dissimiles. Sed non advertunt isti authores quod rectè notat in Criticâ Simonius, non requiri similitudinem characterum, sed sufficere similitudinem pronuntiationis ut amanuenses negligentiores sæpè litteras commutent. At eundem olim fuisse, aut ferè eundem istarum litterarum sonum testis est D. Hieronimus; proindèque Hottingeri conjectura non probat Samaritanos suum Pentateuchum à Judæis post immutatos ab Esdra characteres, mutuatos esse. Probabiliùs est itaque Samaritanos suam scripturam ab eo sacerdote habuisse, qui eis à Rege Salmanasar destinatus est, ut 4. Regum narrat historia: præsertim cum nullos alios libros præter Pentateuchum habeant.

Quod ad Pentateuchi Samaritani versionem attinet, tres vulgò recensentur, Græca nimirum, quæ ampliùs non extat, Samaritana, & Arabica. Græcam sæpiùs citatam à Patribus cernimus (nisi quod aliqui conjiciunt ipsum textum Samaritanum istos Patres legisse, eumque citando in suam linguam vertisse.) Sed indè malè infert Morinus versionem istam ab iisdem Patribus factam esse: multò enim probabiliùs est eam

à Samaritanis, qui Ægyptum incolebant, ad imitationem Judæorum Hellenistarum, qui versione τῶν δ' utebantur, fuisse editam Samaritanam, cujus exemplar habuit Morinus à Petro Dellavallé Romano mutuatum, satis accuratam esse, ac de verbo ad verbum factam, testis est idem Morinus. Tempus tamen quo facta est, ignoratur. Denique Arabicam, quæ tamen litteris Samaritanis conscripta est, post Saadiæ tempora, hoc est post annum nongentesimum factam: hinc suspicatur Waltonus in prolegomenis, quod magnam cum Saadiæ versione habeat affinitatem; ac multa ex illâ mutuari videatur.

Supereft ad hujus materiæ absolutionem ut de Samaritanorum origine necnon & de religione pauca dicamus. Itaque quod eorum originem spectat, eam habemus in Scripturâ relatam, 4. Regum 17. versu 24. & deinceps; sic autem se habet. Cum decem tribus Israël quæ constituto sibi Rege Jeroboam filio Nabat à Roboam filio Salomonis recesserant, suis impietatibus, præsertimque idololatriâ, Dei iracundiam in se concitassent, post diversas Prophetarum suorum admonitiones & comminationes, post diversas etiam calamitates quibus eos affecerat, ut ad meliorem frugem se reciperent, tandem eorum impietate crescente, tradidit eos Deus in manus Salmanasar Regis Assyriorum, qui eos devictos in Assyriam transtulit, & Assyrios populos eis substituit. Hi autem cum ex diversis locis assumpti essent, uno tamen Samaritanorum nomine à Judæis plerumque designati sunt: sumptâ denominatione à Samariâ præcipuâ terræ illius civitate, olimque Regum Israël sede. Nonnunquam verò ab iisdem Judæis Cuthæi sunt appellati: sive quod plures de Cuthâ, quàm de aliis locis eò translati essent: sive quod nomen istud nomen magis esset odiosum Samaritanis: sive tandem ob aliam quancunque causam.

Porrò cum isti populi idololatriæ penitus addicti, nullam veri Dei cognitionem haberent, neque ullum ei cultum exhiberent; Deus immisit in eos leones, qui interficiebant eos. Ut igitur ab illis liberarentur, missis legatis ad Salmanasar Regem, obtinuerunt ab eo unum Sacerdotem ex

decem tribubus translatis , à quo veri Dei cognitionem & cultum addiscerent. Verùm cum idolis suis nimis addicti essent , quam ut ea vellent relinquere , monstrum quoddam religionis ex veri Dei & Idolorum cultu composuerunt ; sicque facti sunt ἀμφοβιοί ; ita ut nec meri idololatræ , nec iterùm veri Dei cultores dici possent. Hic autem Samaritanorum status usque ad captivitatem Judæorum in Babilone perseveravit. A tempore verò captivitatis & deinceps , certum est eos ab idololatriâ penitens abstinuisse , & unius Dei cultui addictos fuisse ; hoc uno excepto , quod templo in monte Garizim ædificato ibi sacrificia Deo offerebant , nec unquam Jerosolymam ascendebant : sicque nefario schismate à Judæis separati erant. Id autem indè patet , quod nec Josephus qui nullam occasionem prætermittit eos vituperandi , ullibi tamen eis idololatriæ crimen objiciat : nec mulier Samaritana Joan. 4. aliam diversitatem inter Judæos & Samaritas referat , præter locum adorationis. Sed neque Christus ipse idololatriam ei opponit. Adde quod Justinus Martyr in dialogo cum Thriphone eos etiam ab hoc scelere immunes declarat.

Quod si quis rescire cupiat num adhuc supersint hodie Samaritani , & quanam sit eorum conversatio , consulere potest duas Epistolas quas ipsi Samaritani ad Josephum Scaligerum superiori sæculo scripserunt , quas , cum in manus Scaligeri non devenissent , Joannes Morinus à Perrescio acceptas latinitate donavit. Ex iis enim discet res Samaritanorum meliùs se habere quàm res Judæorum. Licet enim ad exiguum numerum redacti , nihilominus suos adhuc habent Sacerdotes & summos Pontifices , quos de tribu Aaronis esse asserunt ; suum adhuc Templum in monte Garizim , in quo sacrificia secundùm legem Moysei jugiter à Sacerdotibus offeruntur ; & præscriptæ in Lege solemnitates à cunctis Samaritanis illuc convenientibus celebrantur. Imò in nonnullis aliis quæ cum Judæis sunt adhuc communia , se Judæis strictiores ostendunt , verbi gratiâ in festo expiationis omnes pueri solis lactentibus exceptis jejunare coguntur ; cum apud Judæos nonnisi septennes jejunare consueverint.

Circumcisionem numquam ultrà octavum diem differunt ; quod plerumque fit à Judæis. Cum aliquam in somnis passi sunt immunditiam , aut matrimonio usi sunt, mane factò priùs se lavant quàm quidquam contingant. In his & aliis nonnullis Judæis religiosiores se exhibent. Suas autem sedes habent Samaritani apud Gazam , Sichem quam Turcæ Napolim vocant , Damascum & Cayrium , ex quibus urbibus statutis diebus in montem Garizim Napoli proximum , ut dictum est, conveniunt. Rabbi Benjamin qui circà duodecimum sæculum vivebat in suo itinerario confirmat pleraque eorum quæ de Samaritanis modò diximus , in quo & illud non omittit quod semper jactitarunt Samaritani , se nimirum veros Israëlitas esse ex tribu Ephraim oriundos , quod etsi ex Scripturâ falsum appareat , fortè tamen non incongruè quis dixerit indè ortam jactantiæ occasionem , quòd cum Salmanasar decem Israëlitarum tribus transferret in Assyrios , nonnullos ex plebeis reliquerit , qui postmodum cum Samaritanis mixti sunt , ac unum populum cum illis effecerunt.

Cæterum quæ nonnulli Judæi illis objiciunt , nimirum eos Sadducæorum errores amplexos esse insuper quos idololatriæ addictos , eorum Alphabetum tribus litteris He , Heth, & Ain, deficere , & alia ejusmodi , meræ sunt calumniæ , quæ ex hæcenus dictis sufficienter confutantur.

DISSERTATIO QUINTA.

DE VARIIS HÆBRAICI

*textus editionibus , ubi præcipuè
de Masora.*

Non est instituti nostri hîc eas textus Hebraici editiones recensere, quæ ab inventâ arte Typographicâ adornatæ sunt ; etsi enim aliæ aliis accuratiores sint, omnes tamen unû

eundemque Masoretharum codicem exprimunt ac representant. De iis ergo tantum agemus quæ aut celebriores fuerunt apud veteres, aut ad Hæbraici textus intelligentiam magis conferunt. Itaque celeberrima omnium, & à veteribus magis commendata ea est quæ post captivitatem Babylonicam ab Esdrâ facta est. Tunc enim primum diversi Scripturæ libri in unum corpus collecti sunt, & antiqui Hæbræorum characteres in Chaldaicos mutati, ut superius à nobis demonstratum est. De modo autem quo facta est hæc editio non consentiunt inter se veteres, nonnulli enim sanctorum Patrum arbitrati omnes Scripturæ libros tempore captivitatis Babylonicæ periisse, eosque solius Esdræ memoriâ fuisse reparatos. Sed cum ista sententia nullum aliud habeat fundamentum præter quartum librum Esdræ, qui ut apocryphus ab Ecclesiâ rejicitur, multisque narrationibus insulis ac ridiculis aspersus est, meritò à viris doctis exploditur hæc sententia: præcipuè cum certum sit ex Scripturâ Danielis 9. 2. tempore captivitatis libros sacros adhuc extitisse, & aliundè omnem veri speciem excedat cunctos Judæos tam plebeios quàm Magistratus, tam Sacerdotes quàm Prophetas, ne ipsis quidem Hieremiâ, Ezechiele & Baruch exceptis, tam ignavos fuisse ac verbi Dei ejusque cultus negligentes, ut nullum omninò Legis codicem conservarent, & ab excidio urbis Jerusalem eriperent.

Statuendum est igitur cum aliis Patribus, ac pro certo habendum, hanc editionem ex diversis codicibus melioris notæ inter se collatis diversisque libris in unum collectis confectam fuisse. Porro hæc editio ut quisque facillè intelligit non omnes libros continebat qui nunc in nostris Bibliis reperiuntur, cum plures eorum post Esdræ tempora scripti fuerint, aut ea etiam referant quæ diù post ejus ætatem contigerunt. Sed iis omnibus constabat, qui aut ante captivitatem à diversis Prophetis, aut post captivitatem ab ipso Esdrâ conscripti fuerant. An verò plures fuerint quàm qui ad nos usque devenerunt, non adeò certum est. Cæterum probabilitate non caret, quod plerique docti asserunt, nonnulla in diversis Scripturæ libris ad majorem claritatem

quasi per parenthesis ab Esdrâ adjecta & in sacrum textum inserta fuisse.

Ab Esdræ temporibus usque ad Christum nullam aliam Bibliorum editionem factam, nullum alium Scripturæ canonem ab Hæbræis ordinatum fuisse reperimus. Undè Genebrardus & alii nonnulli qui asserunt sub Machabæorum temporibus; itemque paulò ante Christi adventum alios canones à Synagogâ magnâ, seu Sanhedrim institutos fuisse; ut libri Machabæorum, & alii qui post Esdræ tempora scripti fuerant, cum cæteris jungerentur, & inter scripturas sacras computarentur, nullum satis firmum pro suâ sententiâ statuendâ argumentum proferunt, præcipuè cum istorum canonum nullibi veteres meminerint; insuperque Josephus l. 1. contrâ App. & Hieronimus in Prologo galeato libros istos extrâ canonem Scripturæ disertè reponant; quod tamen non impedit quominus aliæ editiones seu alii canones à Judæis græcâ linguâ utentibus facti fuerint, ut alibi fortassè dicetur.

Ut igitur ad ea omnia veniamus, quæ Judæi post Christi adventum circâ textum Hæbraicum præstiterunt, insignem imprimis operam in eo corrigendo, & contrâ omnem depravationem, quantum poterant, muniendo, collocarunt doctores Tyberiadis, qui ex titulo sui operis Masorethæ appellati sunt. Quale sit autem eorum opus agnoscere potest ex diversis annotationibus & regulis criticis, circâ textus sacri verba, voces, litteras, & accentus; de quibus breviter dicendum est. Itaque

Circâ versus numerarunt 1°. Versus cujusque paraschæ, seu sectionis totius Scripturæ. 2°. Versus cujusque libri. 3°. In quolibet libro versum medium designarunt. 4°. Quædam etiam annotarunt in versibus circâ voces & litteras quibus constant, aut etiam ex quibus incipiunt. 5°. Notarunt in quibusdam versibus esse hiatum, seu locum vacuum, ubi sensus est imperfectus. 6°. Quorundam librorum penultimum versum repetunt ut Hsaiæ Threnorum, Malachiæ & Ecclesiastis. 7°. Denique in nonnullis versibus correctiones scribarum notarunt, seu nonnullas voces quas ab Esdrâ & Sina-

gogâ magnâ de industriâ mutatas fuisse volunt.

Circâ voces notarunt 1°. Varias lectiones, quas ex diversis codicibus deprehenderunt sub nominibus Keri & Ketib: per Keri autem lectum, per Ketib scriptum significari omnes norunt. Itaque iis in locis in quibus Masorethæ diversas lectiones repperunt, ne quid in sacris codicibus immutare viderentur, eas in margine notarunt quæ textui videbantur præferendæ. Cum verò postea puncta vocalia apposuerunt, vocem Ketib, seu quæ in textu habebatur, iis punctis notarunt quæ ad Keri seu vocem marginalem pertinebant, ut demonstrarent hanc legendam esse & alteri præferendam; nonnullis etiam in locis ubi quædam voces nimium obscenæ legebantur, aliàs magis honestas, quæ earum loco legerentur, substituerunt. 2°. Circâ voces notarunt quasdam certis in locis plenè, aliis verò defectivè scriptas esse. 3°. Quarum lam situm notarunt respectu initii, mediî, vel finis alicujus versus. 4°. Alicubi etiam nonnullarum vocum ambiguitatem notarunt, ut cum Genes. 19. 8. monent *Elocties* accipi in significatione pronominis, cum aliàs sit unum ex nominibus Dei. 5°. Circâ nonnullas voces numerarunt quoties in textu sacro reperiuntur: sed loca in quibus reperiuntur non semper indicarunt. 6°. Notarunt voces quindecim uno vel pluribus punctis supernè notari.

Circâ litteras notarunt 1°. Quasdam reliquis majores alias minores, quasdam suspensas nonnullas inversas, quasdam verò medias in quolibet libro. 2°. Ad calculum revocarunt quot litteræ occurrant in singulis libris. 3°. Notarunt diversa loca in quibus nonnullæ litteræ commutantur, & pro aliis usurpantur ut v. g. He pro Vau, Aleph pro Hain, Resch pro Daleth, Jod, pro Vau aut è converso.

His de materiâ Masoræ præmissis, quæritur quid de illâ sentiendum sit, seu quænam sit ejus cum utilitas, tum autoritas. Ad quod respondemus utrimque extrema vitanda esse, ut error caveatur. Quidam enim ut J. Morinus, & Lud. Capellus in tantum eam despiciunt, ut opus vanum & inutile, ac otiosorum hominum inventum esse affirmant. Alii è contrâ ut Buxtorfius

Comm. in Masoram cap. 20°. Arias Montanus de variis in libris Hæbraicis lectionibus, Nicolaus Fullerus Miscellanæ Theologiæ lib. 3. cap. 13°. Mariana, Bronfrerius, Skicardus, & cæteri in tantum eam efferunt, ut contendant vix possibile esse textum sacrum in aliquo corrumpi, quin statim corruptio ex Masorâ deprehendatur, in quo cum Judæis consentiunt, qui Masoram sepem Legis appellant. Sed utriusque sententiæ authores dum suis præjudiciis nimis indulgent, in excessum feruntur. Neque enim tam inutilis est Masora ut volunt Morinus & Capellus, cum plerasque ejus regulas utilissimas esse, diversasque lectiones utiliter annotatas, negari non possit; ut contra istos authores probat Simonius Hist. critic. lib. 1°. cap. 24. & 25. Neque iterum ea ejus utilitas est, quam ei alii tribuunt, ut satis probat ipsa experientia. Constat enim hodiernos Hæbraici textus codices variis lectionibus respersos esse; cum tamen ex Masoræ notis plerumque deprehendi non possit, quænam sit alteri præferenda. Deindè etsi circà eas voces, de quibus loquuti sunt Masorethæ, error non possit facilè obrepere; quomodò tamen errorem prohibebit Masora in iis litteris, de quibus non meminit? Præterea ipsa Masora diversis passim scatet erroribus; quomodò ergò poterit textum ab errore immunem reddere, quæ ipsa multis erroribus obnoxia est? Denique nullus est qui non videat numerum litterarum ad integritatem textus conservandam nihil conferte posse; cum & eodem numero remanente possint plures in vocibus mutationes fieri; & nullus hactenùs, cum difficultas aliqua exorta est, ad litteras cum Masorethis computandas confugerit. Dicendum itaque Masoretharum opus criticam satis accuratam in textum Hæbraicum nobis exhibere: sed istam criticam suos habere nævos, nec ad textus sacri conservationem absque alterius criticæ adminiculo solam posse sufficere.

Porro antequam ad alia transeamus, obiter hic notandum est antiquitùs Masoram à textu Scripturæ sejunctam fuisse, & separatim à magistris Judæorum traditam; nunc verò passim Scripturæ textui adjungi, & cum eo in Bibliis Hæbraicis communiter reperiri. Quod primùm in editis factum est in Bibliis

Venetis apud Bombergum. Cæterùm alia est Masora textualis, alia finalis. Textualis in qualibet Bibliorum paginâ suprâ & infrâ textum adscribitur. Finalis verò in fine Bibliorum ordine Alphabetico disponitur, & textuali diffusior est ob majorem spaciî amplitudinem. Textualis iterum duplex est magna scilicet & parva: illa, est quæ suprâ & infrâ quamlibet paginam conspicitur; hæc verò, ea est quæ litteris Rabinicis inter textum Hæbraicum & Paraphrasim Chaldaicam in margine interiori describitur, & majoris compendium exhibet.

Præter Masoretarum editionem eorumque notas, quæ & à diversis magistris diversisque temporibus factæ sunt, extant & aliæ duæ insignes apud Judæos textus Hæbraici editiones, quæ Academiarum Tyberiadis & Babilonicæ notas in eundem textum nobis exhibent. Prima, quæ sub nominibus Orientalium & Occidentalium circumfertur, facta est juxtâ Morinum nono Ecclesiæ sæculo, constatque nonnullis variantium lectionum catalogis, quibus orientales, occidentalesque Judæi in minutis quibusdam à se invicem differunt. Secunda, quæ Ben-Ascher, aut Ascher Occidentalis, & Ben Nephtali Orientalis nomina præfert, continet varias notas circâ puncta vocalia, quas isti Academiarum principes in suis scholis docuerunt. Sed cum istæ notæ plerumque levissimi sint momenti, nihilque notatu dignum contineant, idè in illis referendis aut exponendis non immorabimur.



DISSERTATIO SEXTA.

DE

Paraphrasibus Chaldaicis.

Quandiu Judæi seu Israelitæ in terrâ promissionis sub Regum suorum dominio permanserunt, nec alienâ servitute oppressi Gentibus servire coacti sunt, Hæbraicæ linguæ, quâ divina eloquia conscripta erant, usum familiarem semper habuerunt: undè nec versionibus, nec peregrinæ linguæ Paraphrasibus usi sunt. Sed ex quo Babylonicæ servitutis diuturnitate factum est ut linguam Chaldæorum addicerent, suæque & usum & intelligentiam paulatim amitterent, necesse fuit ad consolationem & instructionem simplicium, ut quoties in Synagogis Scriptura legebatur, toties ejusdem Scripturæ expositio linguâ Chaldaicâ Judæis notâ sequeretur. Hinc ortus Paraphrasum Chaldaicarum usus, qui à tempore captivitatis apud Judæos semper viguit. Et quidem admodum probabile est istas explanationes sic olim ordinatas, & sacro textui annexas fuisse, ut ad singulos versus Paraphrasis apponeretur, ita uno versu in textu lecto, statim idem versus Chaldaicè exponeretur, & ita successivè fieret ad quoslibet versus, ut colligitur ex pluribus M. SS. in quibus ista dispositio Paraphrasis cum textu deprehenditur. Non est tamen existimandum, cum dicimus Paraphrases à tempore captivitatis, aut paulò post, in usu esse cœpisse, velle nos eam antiquitatem Paraphrasibus, quæ nobis hodiè supersunt, tribuere: imò eas multò recentiores esse incunctanter asserimus. Neque enim primis sæculis, quibus Judæi Paraphrasibus usi sunt, videtur eas à magistris scripto traditas fuisse, sed potius vivâ voce primùm fuisse expressas, deinde sequutis temporibus à posterioribus Judæis esse conscriptas. Sed ut iis Paraphrasibus, quæ nobis hodiè supersunt, aliquam lucem asseramus, earumque

aliqualem notitiam ingeramus , de singulis breviter nobis agendum est. Itaque

Paraphrases Chaldaicæ pro consuetâ apud Judæos Scripturæ divisione , aliæ in Legem , aliæ in Prophetas , aliæ in Hagiographa scriptæ sunt. In Legem seu Pentateuchum , tres omninò reperiuntur. Prima Onkelosi nomen præfert. Secunda Jonathani tribuitur. Tertia est incerti Authoris. In Prophetas unica reperitur , quæ Jonathanis nomine inscripta est. In Hagiographa similiter unica reperitur , cujus auctorem ne ipsi quidem Judæi norunt.

Inter istas Paraphrases insigniores sunt , & ab aliis meritò distinguendæ , quæ Onkeloso in Legem , & Jonathani in Prophetas vulgò tribuuntur. Certum est enim eas cæteris multò antiquiores esse , iisque tum ob stylum tum ob sensum longè præferendas. Enim verò linguam Chaldaicam multò puriorem nobis exhibent , quàm aut in reliquis Paraphrasibus , aut in ipsâ Gemharâ , seu Talmude reperiatur ; quod satis demonstrat eas ante confectum Talmud esse conscriptas. Sed an etiam Christi tempora præcesserint , aut saltem sub ejus sæculo conscriptæ sint , an Onkeloso & Jonathani tribuendæ , omninò incertum est. Antiquitatem earum non parùm favet puritas linguæ Chaldaicæ , quæ ad Danielis & aliorum , qui scripserunt post captivitatem , dialectum satis accedit , & à posterioribus sæculis aliena est. Sed aliundè non leve dubium contrà istam antiquitatem oritur ex silentio veterum Patrum Africani , Origenis , Eusebii , Hieronimi , Epiphani & cæterorum quibus istæ Paraphrases proculdubio fuerunt incognitæ. Videtur enim tales expositiones , siquidem temporibus istorum Patrum exstitissent , nunquam ab iis omnibus fuisse silentio præmittendas ; præcipuè cum multis in locis lucem aliquam textui sacro afferre potuissent ; iisque contrà Judæos argumenta plura præbuisent. Unde etsi non videatur omninò impossibile , quin libri isti apud Judæos conservati , Patribus tamen remanserint incogniti ; id nihilominùs ita difficile est , ut tam altum sanctorum Patrum de his Paraphrasibus silentium posteriorem eorum ætatem abundanter arguere ,

Quantùm verò ad alias attinet, certum est eas ad ætatem longè posteriorem esse referendas, non solum ob pleraque voces minùs antiquas, quæ in illis reperiuntur, ut Constantinopoleos, Turcarum, Lombardiæ, quas quidem non nemo suspicari posset postmodum iis additas fuisse; sed præcipuè ob styli diversitatem à prioribus: tanta est enim earum & priorum in stylo diversitas, ut cuique legenti clarum sit hæc nonnisi postquam lingua Chaldaica à suâ puritate plurimum defecerat, & pristinum nitorem penitùs amiserat, fuisse conscriptas. Ut autem & in particulari aliquid de iis dicamus, fatentur omnes Eruditi eam quæ in Legem Jonathani tribuitur, ejusdem Authoris non esse qui in Prophetas scripsit, quod ex dictionis utriusque diversitate ita clarum est, ut nonnulli Joanni Morino propterea succenseant, quòd magno argumentorum apparatu id probare aggressus sit in exercitationibus Biblicis, quasi id non omnes Critici, qui vel mediocrem linguæ Chaldaicæ notitiam habent, libenter fateantur, & pro certo statuunt: licet alias Galatinus, Helvicus, Serrarius, Postellus, & nonnulli alii contrarium crediderint.

Quod autem attinet ad tertiam, quæ in Legem scripta reperitur, quæque vulgò Targum Hyerosolimitanum appellatur propter dialectum Syro Jerosolymitanum, quâ conscripta est: cum stylum omninò Barbarum, multisque diversarum linguarum vocibus mixtum nobis exhibeat, fatendum est eam recentiorem esse præcedenti, cujus fabulis multas alias superaddit.

Denique idem ferè propter easdem rationes dicendum est de Paraphrasi quæ habetur in Hahiographa; nec enim stylus patitur ut duabus prioribus comparetur, sed potiùs exigit ut cum posterioribus collocetur. Hanc autem, licet à nonnullis Authoribus Josepho Cæco ea tribuatur, incerti Authoris esse multò probabilius est. Imò censet Elias Levita styli diversitatem exigere ut diversis Authoribus tribuatur. Sed his minutiis discutiendis superfedem s, ut circà auctoritatem istarum Paraphrasum aliquid adjiciamus. Itaque

Constat apud omnes eruditos Paraphrasis Chaldaicæ auctoritatem utilitate metiendam esse, tantamque ei tribuendam auctoritatem, quantam nobis utilitatem præstat. At quæ tandem & quanta sit ejus utilitas non una est omnium sententia. Enim verò tam superiori quàm nostro sæculo non defuerunt plures Catholici qui omnes Paraphrases, ut Ecclesiæ prorsus inutiles; imo propter insulas fabulas, quibus respersæ sunt, & superstitionem quam passim redolent, ut noxias rejecerint. Hinc factum ut quamvis Cardinalis Ximenius primùm decrevisset omnes Paraphrases in suis Bibliis sacro textui adjungere: nihilominus ad vitandum scandalum & querimonias multorum compescendas, solam Onkelosi paraphrasim, quæ istis fabulis caret, ediderit; cæteris in publicâ complutentium bibliothecâ repositis. Hinc etiam factum ut cum Arias Montanus istas omnes paraphrases in Bibliis Antuerpiensibus seu Regiis edidit; plures Catholici de ejus opere, ac præcipuè de judicio, quod lectâ paraphrasum versione de iis tulerant Lovanienses, conquesti sint; eo quod illos ob adjunctas textui sacro, tot fabulas ei injuriam facere, & Ecclesiæ notam, quasi approbati Judaismi, inurere viderentur. Unde necesse fuit, ut ad querelas eorum repellendas, & Lovaniensium judicium defendendum, Lucas Bùrgensis liberum apologeticum scriberet. Denique non ita omnes huic apologiæ acquieverunt, quin etiam nostro sæculo dum Parisiensi Jaii Biblia edita sunt, nonnulli ex Hispanis Joanni Morino epistolas dirigerent, quibus eum à consilio inferendarum in istam editionem paraphrasum dimoverent. Nihilominus altera sententia prævaluit, & tam in Bibliis Parisiensibus, quàm postea in Anglicanis Paraphrases editæ sunt. Itaque docent hujus sententiæ authores, quod licet istæ Paraphrases pluribus fabulis & superstitionibus sædatæ sint, quas nec credit Ecclesia, nec approbat; plura tamen continent quæ Ecclesiæ possunt esse utilia, ejusque causam adversùs Judæos non parum promovent. 1.º In eo quod Hebraici textus integritatem confirmant, multisque in locis, ubi variant lectiones meliori stabilicndæ non parum inserviant. 2.º In eo quod multos fidei nostræ articulos contra Judæos confirmant.

v. g. cum plura Scripturæ loca & Prophetias quibus maxime urgentur Judæi de Messia exponunt. 3.^o In eo quod locis obscuris atque difficilibus plurimum lucis afferant, tum in exponendis priscis Judæorum consuetudinibus & ritibus, tum in tradendâ ac determinandâ plurium vocabulorum genuinâ significatione.

Sed ut circa difficultatem istam, quod nobis videtur, apertiamus; licet non inficiemur quin istæ Paraphrases utilitatem aliquam afferre possint Ecclesiæ in iis quæ modò notavimus, nihilominus, quia multo plura sunt in illis quæ Judæis favent, eorumque superstitiones confirmant & approbant, multò congruentius, nostro judicio, fuisset istas paraphrases separatim à Bibliis edere, quàm eas in eodem opere cum Scripturis collocando ansam præbere Judæis gloriandi, quasi Ecclesia eorum deliria & impietates approbaret ac in canone Scripturæ computaret.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE SCRIPTURÆ VERSIONIBVS in genere, & de historia Versionis LXX. *Interpretum in particulari.*

CUM testante Apostolo Paulo, ante adventum Christi, solis Judæis ut populo peculiari, & præ cunctis gentibus electo sua Deus eloquia credidisset, quandiu sui juris fuit hic populus, summopere cavit, ne divini verbi arcana Gentilibus manifesta fierent: ne aut thesaurum sibi concreditum dissipare, aut eloquia sacra prophanorum irrisioni & blasphemix exponere videretur. Sed postquam extra natale solum Babyloniis aliisque Gentibus, Deo propter ejus prævaricationes sic jubente, servire compulsus est, linguæ sacræ oblitus, victorum linguas addiscere, iisque uti necesse habuit. Hinc factum est ut Scripturam sacram in aliorum linguas converte-

re decreverit, ne divini verbi intelligentia, quæ ei antea familiaris fuerat, obscura postmodum & incomperta evaderet. Inde est quod post reditum è captivitate Babilonicâ quoties in Synagogis Scripturæ textus legebatur, toties lectionem explanatio linguâ Chaldaicâ sequebatur, ut superiori dissertatione diximus. Cum autem processu temporis maxima multitudo Judæorum in Ægyptum asportata, ibique etiam Chaldaicæ linguæ ferè oblita esset, in eorum solatium eadem Scriptura in græcum sermonem translata est. Hac porro translatione Scriptura quæ prius Judæis erat peculiaris, communis facta est cunctis gentibus. Quod quidem divinâ dispensatione ita ordinatum est, ut paulatim ejus lectioni gentilis populus assuesceret, ne post adventum Christi Evangelio prædicato tot ac tanta miracula quæ in gratiam Israëlitarum facta in Scripturis narrantur, viderentur esse fabulosa; vel etiam Prophetiæ quas in Christo completas esse Apostoli prædicabant, ab ipsis post mortem Christi confictæ crederentur.

Denique post vastatam à Tito Imperatore Judæam direptas dirutasque Judæorum Urbes, præcipueque Hierosolimam funditus eversam, dispersis per universum orbem Judæis, processu temporis tot versiones habuit Scriptura, quot linguas recutiti dispersi didicerunt.

Sed & à Christianis, ad quos vetus Testamentum cum novo transivit, Scriptura utriusque fœderis, in omnes linguas translata est. Verum harum omnium versionum historicam aut criticam discussionem longius prosequi nec vacat, nec nobis in animo est. De celebrioribus Græcâ nimirum & Latinâ, quarum cognitio majorem afferre potest utilitatem, paulo fusius agemus; cæteras plerasque vel indicasse sufficit.

Circa Græcam versionem τὰν ὁ tria potissimum agere instituimus. 1.º Historiam ejus discutiemus. 2.º De ejus auctoritate inquiremus. 3.º Varias ejus editiones cum veteres tum recentiores recensebimus.

Historia versionis, quæ nomen LXX. Interpretum præfert primû ab Aristæâ, teste illius ut volunt oculato, conscripta est; quamdeinde Josephus & Philo, ille in libris antiquitatum, hic l. 2. de vita Mosis, ex Aristæâ breviant. Dehinc sancti Patres

eandem cum quibusdam Hellenistarum additionibus post Philonis & Josephi tempora excogitatis, retulerunt. Demum post sanctorum Patrum sæcula omnes scholastici Doctores, qui ad superius usque sæculum floruerunt, ac passim alii scriptores qui de versionibus textus sacri aliquid attigerunt, hanc Aristæ Historiam cum suis plerumque additamentis unanimi consensu receperunt.

Verum superiori sæculo, quo cœperunt plerique auctores in evolvendis veterum scriptis esse diligentiores, in discutendis historiis cautiore, & in fictis operibus detegendis sagaciores: ^A nonnulli in rebus Criticis non indocti, fictionem Judaicam in Aristæ Historiâ subodorati sunt, ac re discussâ & sedulò examinatâ ^B plura falsitatis argumenta protulerunt. Sed cum tot sæculorum cursus, tot Scriptorum concursus, tot Patrum consensus, contra novam opinionem præscribere videretur; hinc factum est, ut plerique alii etiam eruditi ^C maluerint veterum traditioni inhærere, quam recentiorum argumentis assentiri. Ex quo contigit, ut diversas rationes, quibus ea resolverent quæ à prioribus adducebantur, excogitarint. Porro licet nostro sæculo ^D plures magis emunctæ natis authores, ad priorum sententiam accesserint; non defuerunt ^E tamen viri doctissimi qui veterum autoritatem

^A Lud. Vives ad lib. ij. de civ. c. 42.

^B Scaliger in animad. Eusebianis. ad an. 1734.

^C Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 6. & lib. de scrip. Eccl. Pamelius ad Tertull. Apolog. nota 270. Ioannes Despeires de 70. interp. dubio 1.^o pag. 10. Margarinus Bignius in Bibliot. Patr. Salianus ad an. 1375. pag. 364.

^D Andreas Rivetus Isagoge ad sacram Scripturam. Henricus Valesius in notis ad Hist. Eusebii l. 5. c. 9. Ioan. Bona Card. in notitia authorum in ejus operibus citatorum. Agidius Menagius in Diogenem Laertium pag. 130.

^E Possevinus in Apparatu sacro. Ioan. Mor. in exerc. bibl. Iacobus Vsserius in sintag. de 70. interp. & in annal. vet. Testam. Vualtonus ad Biblia polig. Proleg. Vossius in Dissertatione de 70. interp.

horum rationibus præposuerunt, & quibus potuerunt viribus labentem sententiam sustinuerunt. Nihilominus quæ Historiam Aristæ rejicit sententia, hodie viris doctis^F videtur magis aridere; & à nonnullis tanquam certa traditur. Cum autem horum rationes satis firmæ ac solidæ nobis videantur, ut antiquorum authoritati, in re criticâ, & à veteribus potiùs suppositâ quàm positâ & assertâ, præponderare possint, earum præcipuas hic breviter afferemus, deinde objectionibus adversariorum satisfacere conabimur.

Priùs tamen quàm ad eas veniamus, prænotatum velim sententiam, quam hîc amplectimur longe diversam esse ab eâ quam Leo à Castro, Salmeron & Serrarius secuti sunt, nempe Leo à Castro comment. in Isaiam, Salm. Prolegom. biblico. 6. pag. 67. Serrar. prolegomenorum Biblicorum c. 7. q. primâ, quam tamen cum nostra perperam confundunt viri alioqui doctissimi Gerardus Vossius, & Brianus Vualtonus: ille lib. 1. de Historiis græcis c. 15. pag. 77. hic in prolegomenis. Illi enim authores ea omnia, quæ à veteribus ex Aristæâ referuntur, vera & certa esse approbantes libellum qui sub Aristæâ nomine hodiè legitur, supposititiû & ab eo quem sancti Patres habuerant diversum esse contendunt. Nos contrâ libellû hodiernum Aristæâ eundem esse supponentes cum illo quem veteres habuerunt, ut ex collatione locorum quæ à veteribus de Aristæâ libro citata sunt, invictè demonstratur, utrumque codicem tum hodiernum tum veterem supposititium & à Judæo quodam in gratiam Hellenistarum confectum esse contendimus. Hoc posito.

Probatur 1.º hæc sententia. Juxta omnes Aristæâ Codices tam veteres quam recentiores versio, τῶν ὁ facta est sub Philadelpho, procurante apud Regem Demetrio Phaleræo ejus bibliothecæ Præfecto: Atqui constat Demetrium Phaleræum

^F Henricus Hody Dissert. de Hist. Aristæâ. Ludovicus Pinus Dissert. Prelim. ad Bibl. aut Eccles.

neque bibliothecæ curam, neque ullum aliud officium sub Philadelpho habuisse: ergo liber qui nomen Aristeæ præfert non ab Aristeâ coævo ipsius Philadelphi scriptus, sed ab aliquo Hellenistâ falsò illi adscriptus est. Probatum minor ex iis quæ de Phaleræo refert Hermippus apud Laertium: docet enim Demetrium, cum post mortem Cassandri in Ægyptum fugisset metu Antigoni, authorem fuisse Ptolomæo Lagi ut Philadelphum filium Berenices filiis Euridices in regni successione postponeret. Cujus concilium cum neglexisset Ptolomæus, statim atque Philadelphus mortuo patre solus regno potitus est, Demetrium procul à se in exilium delegavit, ubi paulò post mortuus est. Ergo Demetrius nullo unquam potitus est officio apud Philadelphum, pro indeque nec Bibliothecæ præfectus fuit, nec versionem τῶν ὀ apud Regem procuravit. Porro sic se habet Laertii locus in vita ejusdem Demetrii: *Hermippus tradit illum post Cassandri mortem Antigonom metuentem ad Ptolomæum Soterem venisse, apud quem cum diu fuisset præter cetera ei concilium dedisse ut Regnum Euridices filiis relinqueret. Quod cum ei non suavisset, sed contra is diadema filiis Berenices obtulisset, ait hunc ipsum post mortem ejus in ditione suâ custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur. Hoc autem in loco remissius agebat, ac fortè dormiens morsu aspidis manum appetentis vitâ privatus est, sepultusque in Basilidis præfecturâ prope Diospolim. Hæc ille.*

Cum hoc argumentum ex Hermippo peti- tum peremptoriū sit, mirū est quantum hoc testimonium torserit Aristeæ propugnatores, & quot responsiones excogitarint ut argumentum istud eluderent. Sed ab illis omnibus fusè vindicat Hermippū supra laudatus Henricus Hodi in dissertatione de hac historia; quam cum quisque possit consulere, nobis ea breviter attigisse sufficiet. Quidam igitur ut Serrarius Gretzerus, Gerardus Vossius, Salius, Usserius, Waltonus & alii, quò facilius ab Hermippo se expediant, eum tanquam authorem gentilem & obscurum cui res Judaicæ fuerunt incognitæ, rejiciunt; eique sanctorum Patrum autoritatem & consensum opponunt. Sed quid tandem contra Hermippi testimonium facit quod gentilis fuerit? An quia gentilis, ideo de Phaleræo & Philadelpho

itidem gentilibus scribere non potuit? Aut quid sanctorum Patrum autoritas ad elevandam Hermippi autoritatem facit? An ea quæ de historia septuaginta interpretum scripserunt, aliunde quàm ab Aristæa habuerunt? Atqui de ipsius Aristææ libri sinceritate agitur, de qua Patres nihil unquam scripserunt. At, inquit, Hermippus historicus sub Adriano tantum floruit, proindeque Demetrii historiam minus callere potuit, à quam Aristæas eidem Demetrio coævus. Sed præter istū Hermippum qui Beritius fuit, constat alium fuisse Smirnæum multò antiquiorem, qui vitas Philosophorum scripsit, & à quo plerasque accepit Laërtius, quem Hermippum constat Theophrasto Phaleræi coætaneo aut æqualem fuisse, ut volunt Isaac Casobonus & Menagius, aut illis saltem subparem ut probabilius esse censet Hodijs.

Alii ut Isaac Vossius in dissertatione de septuaginta Interpretibus & Joannes Baptista Riétiolus respondent falsa hîc Hermippum prodidisse 1°. Cum asserit Demetrium post Cassandri mortem Ægyptum petiisse: quod probant ex Diodoro Siculo, qui si Vossio credimus, fugam Demetrii in Ægyptum assignat anno secundo Olimpiadis 118: cum tamen certum sit Cassandrum non ante annum secundum Olimpiadis 120. diem extremum obiisse. 2°. Cum asserit Demetrii fugam ex Antigoni metu contigisse; quem tamen ante Cassandrum obiisse constat. Atqui certum est in utrâque responsione Vossii Criticam cespitasse. Quod enim ad Diodorum attinet, non asserit, ut vult Vossius, Demetrium isto anno fugisse in Ægyptum: imò contrarium innuit cum eum primum Thebas, ubi Cassander regnabat, venisse, ac demùm in Ægyptum fugisse asserit. Quod idem habent Anagraphæ Olimpiadum & Strabo libro quarto Geographiæ, ubi disertè asserit fugam in Ægyptum non nisi post Cassandri obitum contigisse. Ad id verò quod de Antigono subdit, respondetur Hermippum non loqui de Antigono magno Demetrii Poliorcetis patre, sed de Antigono Cassandri filio, qui licet vulgò Antipater soleat nominari, tamen Antigonus etiam appellatur, ut patet ex Eusebiano Canone, & excerptis quæ Eusebiano Chronico Scaliger attexit.

Causa autem metus Demetrii esse potuit, quòd post trucidatam ab Antigono propriam matrem, eò quòd in divisione Regni paterni eam minori filio & Antigoni fratri favisse suspicaretur, timuerit Demetrius, ne ob similem suspicionem, similem quoque pœnam ab Antigono sustineret.

Alii respondent Demetrium Regis Philadelphi odium primum quidem incurrisse, sed postea in ejus gratiam rediisse, nec mortem ejus per aspidem ab Hermippo relatam esse, sed à Laertio Hermippi narrationi additam fuisse. Ita Usserius, Serrarius, & Salianus. Sed præterquàm satis clarum est ex loco superiùs allato gratis asseri mortem à Laertio memoratam ex Hermippo desumptam non esse, idem mortis genus Demetrio tribuunt etiam Cicero Oratione pro Rabirio Posthumo, & Suidas. Adde quod nulla autoritas adduci potest, quâ reconciliatio ista suadeatur, & ratio videtur ipsi contraria; cum nemo non videat Demetrium non potuisse gravius in Philadelphum peccare, quam suadendo patri ejus ut alterum Regni constitueret hæredem.

Alii denique ut Gerardus & Isaac Vossii, Dionisius Petavius &c. respondent versionem τῶν δὲ factam fuisse per illud Biennium quo cum patre regnavit Philadelphus, quo tempore certum est Demetrium adhuc vixisse & à Ptolomeo Lago in honore habitum fuisse. Sed ista doctissimorum virorum responsio multis modis ex ipso Aristeâ confutatur: 1°. Enim si superstitè adhuc Ptolomæo Lagi versio ista confecta est, cur in totâ ejus historiâ ne verbum quidem de Lago ab Aristeâ dictum est? Cur apud Josephum & Philonem, cum hujus versionis historiam referunt, altum est de Lago silentium? Cur Epistola Demetrii ad solum Philadelphum conscripta est? Cur Epistola ad Eleazarum Pontificem solius Philadelphi præfert nomen? Cur denique ipsius Eleazari Epistola quæ uxoris & filiorum Philadelphi meminit, de ipso regni capite & Philadelphi patre tacuit? 2°. Ex Aristeâ constat Philadelphum, quo tempore versio nostra confecta est, uxorem & liberos habuisse; atqui non nisi post mortem patris ipsum uxorem duxisse multa probant.

Primò enim Herodianus affirmat eum in νεότητι seu in adolescentiâ regnum suscepisse; Porphirius autem apud Eusebium in Chronico libro primo affirmat eum tunc adhuc fuisse, τὸν παῖδα puerum.

2°. Ex Justino constat Ptolomæum Ceraunum, qui natus major erat Philapello, immaturum juvenem adhuc fuisse quando à Gallis occisus est, quod confirmat etiam Diodorus cum dicit eum fuisse, τὴν ἡλικίαν νέον πάνθιλι, atqui ex Eusebii Chronico & aliis colligitur non nisi sub finem Olympiadis 124^a. aut initium 125^a. Ceraunum à Gallis interfectum fuisse, non autem septem annis postquam Philadelphus regnare cœperat. 2°. Athæneus describens stupendam Pompam quam Philadelphus regnans cum patre celebravit, meminit quidem patris Ptolomæi & matris Berenices, sed de uxore omninò tacet. Quod satis ostendit eum uxorem nondum habuisse.

3°. Ex Epistolâ Eleazari Pontificis constat uxorem quam tunc habebat Philadelphus fuisse sororem ejus Arsinoën, quam eumduxisse plerique authores testantur. Atqui Philadelphus non potuit Arsinoën uxorem habere nisi multis annis post mortem patris: constat enim Arsinoën primum Lysimacho Regi Thraciæ, deinde post ejus mortem Ptolomæo Cerauno in matrimonium datam fuisse, ut ex Justino probat Hodijs suprâ laudatus, ex quo hæc desumpsimus.

4°. Constat ex toto Aristæ libro versionem τῶν ὀνομάτων prius ceptam fuisse quàm Philadelphus Bibliothecam numerosissimam collegisset & innumeris propemodum libris adornasset. At certum est Philadelphum non, nisi post multos annos à suscepto regno, de Bibliothecâ cogitasse. Testantur enim omnes qui de Philadelphi studio in colligendis libris scripserunt, eum non nisi sub finem vitæ huic se studio addixisse: imò, si fides est Vitruvio, id serò admodum exequutus est Ptolomæus; tradit enim eum instruxisse Bibliothecam exemplo Regum Attallicorum seu Trojanorum. At primus qui Pergami Bibliothecam adornavit Eumenes anno duntaxat 4°. Olympiadis 129. regnare cœpit. Quo tempore Philadelphus triginta annis aut circiter jam regnaverat. Sed etiam

daremus Philadelphum ab ipso regni initio de adornandâ Bibliothecâ cogitasse ; cum tamen juxtâ Aristeam plusquam 84. mille volumina jam congregasset Demetrius , priusquam de Judæorum libris cogitaret : nemo est qui non videat tantam librorum copiam intrâ biennium non potuisse comparari ; sicque versionem non esse factam eo tempore quo cum patre adhuc regnabat Philadelphus.

Probatur 2°. *vobis* libri Aristeæ ex eo quod Demetrium Phaleræum Alexandrinæ Bibliothecæ præfectum facit ; cum tamen extrâ omnem veri speciem sit , tantum virum , qui apud Athenienses ἀρχωντος dignitatem habuerat , & in Ægypto maximis honoribus fuerat cumulatus, eò redactum fuisse miserix ut Bibliothecæ curam suscipere cogeretur. Scio quidem Demetrium virum doctissimum huic muneri obeundo ineptum non fuisse : sed non fuit olim consuetudo ut viris doctis , qui in aliquo honore habebantur, Bibliothecarum cura traderetur. Nec contrarium probat Isaacus Vossius cum Dyonisium Tyrannum nobis objicit , qui privatus regno pueros docere coactus est : hic enim ab omnibus odio habebatur : Demetrius verò maximo in honore fuit apud Ptolomæum , ut testis est Ælianus apud Varronem Hist. lib. 3. cap. 13.

Probatur 3°. Ex eo quod Aristeas utitur testimonio Ecatis Abderitæ tanquam veteris auctoris , quem tamen constat sub Ptolomæo Lagi vixisse , ut patet ex Josepho , lib. 1. contrâ Appionem.

Confirmatur ex eo quod idem Aristeas asserit Menedemum Erethriensem presentem fuisse in Ægypto quando versio Græca sub Philadelpho confecta est. At 1° Menedemus obiit septem circiter annis postquam Philadelphus regnum susceperat , scilicet tempore quo Antigonus Gonoras Gallos vicit ; tunc autem plusquam octogenarius erat. Quî fieri ergo potuit ut versioni interesset, quæ, ut ex Aristeâ infertur, non nisi multis annis post septimum Philadelphi confecta est. 2°. Legimus quidem Menedemum apud Ptolomæum Lagi legatione functum esse priusquam ad Lyfimachum se conferret, at nullus eorum qui de eo scripserunt , memoriæ tradidit

eum ad Philadelphum profectum unquam fuisse : quod tamen satis memorandum fuisset , si nimirum in tam longævâ ætate tam durum & difficile iter suscepisset.

Probatur 4°. ex victoriâ insigni quam à Ptolomæo Philadelpho contrâ Antigonum reportatam fuisse asserit Aristæas eotempore, quo Interpretes ad ipsum venerunt. Nullam enim aliam victoriam reportatam contrâ Antigonum legimus præter eam quæ ex Antigono magno Demetrii Polyorctetis patre reportata est. At victoriam illam quæ contigit anno 3°. Olympiadis 118. non Ptolomæus Philadelphus , qui vix dum natus fuerat, sed Ptolomæus Lagi obtinuit. Graviter igitur hâc in re hallucinatus est Aristæas , qui id Philadelpho tribuit , quod tanto tempore factum est ante eum. Fingit ergo cum istis rebus interfuisse se asserit.

Respondent Isaacus Vossius & nonnulli, non ipsum diem victoriæ sed anniversarium tunc à Philadelpho celebratum fuisse , cum septuaginta Interpretes adfuerunt. Sed præterquam istam victoriam patri non sibi tribuisset Philadelphus , victoria illa non erat ita insignis , ut anniversario die celebrari mereretur. Propriè enim loquendo nulla fuit victoria ; siquidem prælium nullum commissum est , sed Antigonus dumtaxat ob sui exercitus calamitates , Demetrius verò ob tempestates coacti sunt ad propria redire. Præterea Diodorus qui lib. 2°. narrat Ptolomæum post Antigoni recessum sacrificio Diis oblato cum amicis epulatum esse , nunquam anniversarium fuisset omisurus , si talem Ptolomæus instituisset.

Probatur 5°. Ex fabulis & nugis quibus hæc Aristææ historia respersa est , quæ Judæi alicujus manum & ingenium apertè sapiunt , ac pleno ore redolent.

Talia sunt 1°. Quæ de septuagenario Interpretum numero refert , quem numerum à Demetrio postulatum asserit : in quo manifestum est alludi ad eorum numerum , ex quibus Synedrium constabat. Quorsum enim ad unicum librum Græcâ Linguâ donandum 72. homines adhiberentur , quasi non esset satis notum in hisce rebus multitudinem obesse potius & discordiam gignere , quàm prodesse & concordia

inservire? Quorsum istum numerum ex duodecim Tribubus & senos ex singulis sumere? Demus aliquos ex decem Tribubus deportatis in Judæâ remansisse aut in Judæam rediisse; sed certè in minori erant numero respectu aliorum. Quomodò igitur nec plures ex Tribu Judâ, nec pauciores ex singulis, ad id muneris apti inventi sunt?

2°. Fingitur Demetrium, qui quotidie Regem alloquebatur, cum quo etiam paulò ante de libris Judæorum sermonem habuerat, eum tamen non nisi per epistolam adiisse. Deinde tres Epistolæ quæ apud Aristeam referuntur, Regis scilicet Demetrii, & Eleazari unicum authorem habeant. Quem igitur nisi fictum? Quis autem credet Isaaco Vossio asserenti Aristeam res sui temporis, & quibus aderat, narrantem, potuisse tamen illas epistolas, non iis quibus scriptæ erant verbis, sed suo modo & stylo referre.

3°. Supponit Aristeas nullos Legis Judæorum libros in totâ Ægipto extitisse: quod quam sit falsum & absurdum facile quisque judicabit, qui perspexerit ab annis plurimis, ipso fatente Aristeâ, multa Judæorum millia in Ægipto habitasse, & Alexandrum Magnum, testante Josepho, coloniam eorum Alexandriæ collocasse. Quod si ut extrâ dubium est, tales libri in Ægipto facillè poterant inveniri, quorsum tam celebris Ptolomæi ad Eleazarum legatio ut libros & Interpretes haberet, quos in suo regno tam facillè poterat invenire?

4°. Apertè fabulam sapiunt quæ apud eundem Aristeam narrat Ptolomæus de quodam Theopompo & altero Theodecto qui gravissimis pænis afflicti fuerant, eò quod aliquid ex libris Judæorum in suos transferre voluissent, sicque hominibus res divinas manifestassent. Quis hic cum Richardo Simonio non advertat affinitatem hujus narrationis cum iis, quæ Judæi accidisse fingunt, quando Jonathan Paraphrasès Chaldaicas composuit?

5°. Quis sibi inducat in animum Ptolomæum Regem pro uno Legis Judæorum volumine plus impendere voluisse, quàm in reliquâ Bibliothecâ comparandâ impendisset? Quis non percipiat fictionem cum dicitur Regem & alios diris eos devovisse,

devovisse, qui ex factâ translatione quidquam mutarent? cum dicitur Regem anniversarium diem pro translatione factâ instituisse, librum Legis septies adorasse, ad conspectum ejus lacrymatum esse; Sacerdotes Ægyptiorum solitos fuisse Judæos appellare Dei homines &c. Mitto alia plurima ejusdem furturis, quæ Hodyum consulenti aut ipsum Aristææ librum legenti passim occurrent.

Cæterùm ex iis omnibus simul sumptis non dubitamus invictum argumentum adversus librorum Aristææ sinceritatem confici; omnemque qui seriò dicta perpenderit, sententiam pro nobis adversus Aristeam prolaturum.

Quod autem pro suâ opinione tuendâ sanctos Patres proferunt adversarii, nihil omninò ad eam tuendam aut nostram infirmendam juvat. Ut enim libenter fatemur sanctos Patres Aristeam secutos esse, ejusque Historiam veram habuisse, sic ipsos Aristææ libri sinceritatem aut *ροθεις'αν* nunquam discussisse contendimus. Enim verò cum Aristææ liber, quem ex Judæis Patres habuerant, tantùm extolleret versionem τῶν δ', quam Judæi quantum poterant, tunc deprimebant; non potuit sanctis Patribus in suspicionem venire, librum istum à Judæo fuisse confectum; nec, si eis id in mentem venisset, utile erat ad Criticæ leges id examinare. Missis itaque adversariorum hâc in parte objectionibus, unica superest quæ alicujus momenti esse videtur; illa scilicet quæ petitur ex testimonio Aristobuli Judæi Peripatetici, qui sexaginta circiter annis post Aristeam sub Ptolomæo Philometore vivebat. Hic igitur in Commentariis, quos in Leges Mosâicas scripsit, quasque Philometori Regi inscripsit, ut testantur Clemens Alexandrinus, & Eusebius, non solum commemorat versionem sub Ptolomæo Philadelpho factam, sed etiam à Demetrio Phalereo procuratam discretè asserit. At inquirunt adversarii nemo res gestas sub Philadelpho meliùs nosse potuit quàm Aristobulus, qui & nepoti ejus Philometori à studiis erat & ætatis ejus adedò vicinus, ut res sub eo gestas ab oculatis testibus discere potuerit. Sed respondetur, 1^o. Supposito quod isti Commentarii sint Aristobuli, qui etiam eo tempore vixerit, nihil

tamen magis ex ejus testimonio confici, quàm ex ipso Pseudonimo Aristeâ, à quo verisimillimum est accepisse quæ de versione istâ protulit. 2°. Aristobulum Commentarios suos non Philometori, sed alicui ex posterioribus Ptolomæis inscripsisse: siquidem multis annis post Philometorem vivebat, ut patet ex Epistolâ lib. 2°. Machabæorum præfixâ, quæ plusquàm viginti annis post Philometoris obitum scripta est, nimirum anno æræ Machabæorum. 188. id est juxtâ Eusebii computum 123. post mortem Philadelphi. Hoc autem indè confirmatur quòd Clemens & Eusebius, ex quibus habemus Aristobulum suos commentarios Philometori inscripsisse, hâc in re non sibi constant, dum eum modo Philometorem, modo Philadelphum nominant. Anatholius verò apud Eusebium lib. 7°. cap. 32. in Computo paschali Aristobulum unum ex septuaginta Interpretibus facit. 3°. Denique hos commentarios Aristobulo suppositos esse, sicque eodem morbo, quo Aristeæ libellum laborare. Primus enim de iis mentionem fecit Clemens Alexandr. qui exeunte 2°. sæculo vivebat: quo sæculo, quot libri veteribus suppositi sint, nemo est qui nesciat; præsertim cum eo consilio scripti videantur illi commentarii ut ostendant Gentiles Philosophos, quidquid boni scripserunt ex Mosis Legibus desumpsisse: qui scopus erat ferè omnium Patrum illius ætatis. Suspicionem auget etiam Josephi silentium. Quomodò enim tam eximium opus, quod Eusebii & aliorum laudes meruit, Josepho Judæo fuit incognitum? Aut si notum, quomodò Josephus libros adeò celebres ut Regi Ptolomeo inscribi meruissent, tam alto silentio sepelire, aut sine laude prætermittere potuit? Nullum itaque negotium sententiæ nostræ facit testimonium Aristobuli, quod tot modis infirmatur. Sed quoquo modo res se habeat de isto testimonio, sententiam nostram non potest evertere: parum enim refert quo tempore liber Aristeæ confictus fuerit, an scilicet ante Aristobulum, an verò postea, dummodo constet eum esse confictum; quod ni fallor abundè à nobis probatum est.

Quæres quid igitur de versionis Græcæ historiâ sentiendum

fit , & cur septuaginta Interpretum nomen sortita sit , si à totidem Interpretibus non prodiit ?

Respondeo nihil ferè certi de câ statui posse , cum nihil apud veteres reperiatur , quod ex Aristeæ libro & fragmentis Judæorum desumptum non sit : illud tamen certum videri , versionem hanc circâ Philadelphi tempora factam esse : tum quod ex eo tempore Gentiles majorem rerum Judæicarum cognitionem habuerint : tum quod omnem veri speciem superet Aristeæ librum nullum habere fundamentum , nec quidquam veri continere. Id etiam doctis plerisque certum videtur , juxtâ pseudo-Aristeæ , Jolephi , & D. Hieronimi testimonia , solum Pentateuchum 1^o conversum fuisse ; postea verò reliquos libros : maximè cum stilus versionis Pentateuchi à stilo cæterorum librorum diversus sit. Cur autem septuaginta Interpretum nomen sortita sit , indè factum suspicatur Simonius Crit. lib. 2^o cap. 2^o , quod à Synædrio magno septuaginta Seniorum approbata sit. Sed levis est illa conjectura ; probabiliusque videtur ab eo tempore id nomen habuisse , quo Aristeæ liber fidem obtinuit.

DISSERTATIO OCTAVA. DE AUCTORITATE

Versionis septuaginta Interpretum.

Versionis Græcæ quam vulgò septuaginta Interpretum dicimus , authoritas duplici respectu considerari potest , Judæorum nempe , & Christianorum. Cum enim hæc versio longè ante Christi Domini adventum facta sit , eamque Christi Ecclesia à Synagogâ acceperit , primò inquirendum videtur , quanti eam fecerint Judæi , tam ante quàm post Salvatoris adventum. 2^o quo in pretio eadem à Christianis habita sit.

Quod igitur ad Judæos spectat , cum eo tempore quo

hæc Scripturæ translatio facta est Judæis plerisque in Egipto commorantibus lingua Græca vernacula esset, Hebraicæ verò, qua facer textus conscriptus erat, intelligentia jam à multis sæculis tantùm penès doctos remansisset, eo ferè modo, quo hodiè apud nos Latinæ linguæ cognitio; dubium non est quin valdè accepta fuerit iisdem Judæis Scripturæ versio, quæ facilem cuilibet Judæo divini verbi præbebat intelligentiam, & magistros ipsos Judæorum, tum in explicandis suæ genti Hæbraicis Scripturæ codicibus, tum in erudiendis Profelytis, tum in confundendis Gentilibus, multimodè juvabat. Hinc tanta elogia quæ huic versioni à Josepho, Philone & aliis tribuuntur. Hinc Aristæ liber confectus ad illam extollendam; hinc postmodum prodit fabula de septuaginta Cellulis; hinc denique tanta apud omnes Judæos hujus versionis æstimatio, ut extrà Judæam & Chaldæam vix alia Scripturæ exemplaria privatim à Judæis legerentur. Et hæc quidem æstimatio versionis τῶν ὀ, eò usque permanit apud Judæos donec natà Christi Ecclesiâ animadverterunt eam Religioni Christianæ maximam utilitatem afferre, Evangelioque Christi disseminando ac fidei propagandæ mirum in modum inservire. Cum enim Apostoli & primi Christiani eas Prophetias in Christo adimpletas prædicarent, quæ jam diù in linguam Græcam conversæ, in manibus Gentilium erant, proindèque nec fictionis à Judæis aut Gentilibus argui poterant; indè non modicum fructum eorum prædicatio referebat, & Ecclesiam nascentem versio jam antiqua maximè provehebat.

Ab illo igitur tempore Judæi in odium Christianorum cœperunt detrahere versioni septuaginta Interpretum, & eam quasi Hebraico textui minùs conformem traducere, ut patet ex Epistolis divi Ignatii. Postquam autem Aquila Judæus aliam versionem Hebraico textui de verbo ad verbum, ut ferunt, respondentem adornavit, tunc versionem septuaginta Interpretum magis adhuc aspernati sunt, eaque relictâ, plerique huic novæ versioni adhæserunt; quamvis plures etiam eâ nihilominùs uti non destiterint, eòquod & antiquior esset, & ipsis familiarior. Ex odio verò quod ob Christianos in

hanc versionem plerique Judæi conceperunt, ortum fortasse jejunium quod in eorum Kalendariis ob factam versionem τῶν ὁ annotatur, ut observat Scaliger in notis ad Eusebium.

Antequam autem ad Christianos transeamus discutiendæ est hîc celebris quæstio, an scilicet versionem τῶν ὁ aliquandò in Synagogis publicè legerint Judæi; & an ex illâ lectione an verò aliundè quidam apud eos dicti sint Hellenistæ. Circa quod animadvertendum plures viros doctos existimasse, ac nunc etiam multos existimare bifariam olim Judæos in lectione Scripturæ fuisse divisos. Docent enim eos qui Palestinam incolebant, paucis aliorum coloniis exceptis, non alias in Synagogis Scripturas publicè legisse præter Hebraicas, eosque inde Hæbræos fuisse nuncupatos. Alios verò qui extrâ Palestinam in Ægipto & Italia vivebant cum iis coloniis quas Hierosolymis habebant, Græcis Bibliis uti solitos, non solum ad privatos usus, quod omnes facillè concedunt; sed etiam ad usus publicos Synagogæ; hincque illos denominatos fuisse Hellenistas. Sed hanc Hellenistarum notionem fusè confutat Salmasius in dissertatione de Hellenisticâ. Alii ut Isaac Vossius in tractatu de Sybillinis oraculis, & in Resp. ad Criticam R. Symonii, istam notionem cum Salmasio reprobant; aliam tamen tradunt rationibus & instituto Salmasii magis adhuc contrariam. Volunt enim eos nec à linguâ Hellenisticâ, nec à Græcorum Scripturæ codicum lectione dictos esse Hellenistas; sed inde id cognomen sortitos, quod partes Romanorum tuerentur, iisque tributa solverent: alios autem qui Cæsari tributa solvenda negarent, volunt Hæbræos esse appellatos. Versionem verò septuaginta Interpretum non in Hellenistarum tantùm, sed in Hæbræorum etiam Synagogis publicè lectam fuisse contendunt: adduntque nullam aliam linguam Hierosolymis aut in totâ Judæâ fuisse vernaculam tempore Christi, & primis Ecclesiæ sæculis, præter Græcam, quæ ibi tandiù permanfit, donec Arabes Provincias illas invaserunt. At certè cum hæc utrâque opinio meris nixa sit conjecturis, nec ullum in antiquitate fundamentum habeat, saltèm quod ab illis Auctoribus indicetur; probabilior nobis vibetur Salmasii sententia tam

quoad Hellenistarum denominationem, quàm quoad Scripturarum in Synagoga lectionem.

Docet igitur 1°. Salmasius loco citato Hellenistas neque Græcos, neque Palæstinos Judæos fuisse: nunquam enim reperitur apud authores, Judæos Hebræis opponi, aut è contrà: Hebræi enim nomen nationem, non linguam designat. Undè tam apud sacros quàm apud prophanos authores, Judæi quocumque loco commorantes sæpissimè Hebræi appellantur: & indè est quod licet Paulus ex Ciliciâ esset oriundus, Hebræum tamen ex Hebræis se nominat, non Hellenistam. Constat nihilominus, inquit Salmasius, Hellenistas non fuisse religione Gentiles: antequam enim Evangelium ad Gentes transfisset, jam erant Hellenistæ inter credentes. Verisimilius est ergò Hellenistas fuisse Judæos Profelytos, hoc est religione Judæos, licet Gentiles natione: maximum enim fuisse istorum Profelytorum numerum indè constat, quod Tacitus lib 2°. Annalium referat Romæ sub Tiberio ad quatuor millia Libertinorum Judaicam Religionem suscepisse. Hinc est fortasse quod actor. 7°. in creatione Diaconorum, quæ ad compescendum murmur Hellenistarum ab Apostolis facta est, expressè notatur quòd Nicolaus fuerit advena, seu Profelytus Antiochenus.

2°. Contendit Salmasius in Synagogis Judæorum, tam in Judæâ quàm in aliis regionibus non aliam Scripturam in Synagogis lectam fuisse quàm Hebraicam. Hoc autem probat 1°. ex Epiphanio, qui expressè docet Judæis consuetudinem fuisse, ut Scripturas Hebraicè legerent: refert enim Nazaræos, quamvis Christiani essent, seipsos in Hebraicâ linguâ diligenter exercuisse, & omnes veteris Testamenti libros Hebraicè legisse quemadmodum Judæis solitum erat. Ex quo loco apertè colligitur, Judæos tempore D. Epiphanii non nisi Hebraicè legisse Scripturas, quemadmodum ab eis acceperant Nazaræi. 2°. Quia si Judæi Græcam versionem in Synagogis legissent, vel id fecissent, quia versionem textui prætulissent, vel quòd Græca lingua ipsis esset vernacula. Atqui neutrum horum potest assignari, non primum: quis enim dicere audeat Judæos textum Hebraicum minoris

unquam fecisse quàm versionem Græcam : neque etiam secundum ; quia vernaculæ linguæ nullam rationem habent in Synagogis , ut patet ex praxi hodiernâ Judæorum , Germanorum , Gallorum , Italogum & Lusitanorum , qui licet vernaculas habeant Scripturæ versiones quas privatim legunt , in Synagogis tamen non nisi Hebraicis utuntur. Neque dici potest praxim illam recentiorē esse ; contrarium enim patet ex aliâ consuetudine quam habent iidem Judæi , codices, qui Synagogis inserviunt , scribendi sine punctis & accentibus ; quod non nisi ex antiquissimâ traditione provenire potest. Tum etiam quia falsum est linguam Græcam apud Judæos penè omnes olim fuisse vernaculam , ut contendit Isaac Vossius nimio præjudicio pro versione τῶν ἑβραίων laborans. Constat enim 1^o. nec id diffiteri potest Vossius , Judæos seu potius Israelitas , qui Chaldæam & Assiryam incoluerunt , Græcam linguam non habuisse vernaculam : atqui totæ decem tribus ex duodecim in istas regiones translatae sunt, ibique, teste Josepho, remanserunt etiam post solutam à Cyro captivitatem : ergo jam maxima pars Judæorum aliâ linguâ quam Græcâ utebatur. 2^o. Quod attinet ad eos Judæos , qui Jerosolimis & in Judæâ habitabant , vix alteri quam Vossio in mentem venire potuisset aliam linguam à Græcâ non habuisse communem. Tot enim nobis in novo Testamento se præbent argumenta , quæ probant linguam Chaldaicam seu Chaldaico-Syriacam tempore Christi & Apostolorum Jerosolimis fuisse vernaculam , ut planè cæcutiat qui hoc in Scripturis non agnoscat.

Primò enim, voces quæ in Evangelio latinè non redduntur Chaldaicæ sunt , ut Abba , Satana , Siloë , Gabata &c.

Secundò, ad quid titulus crucis linguâ Hebraicâ , aut aliâ quàm Græcâ conscriptus fuisset , si lingua Hebraica seu potius Syriaca Jerosolimis vernacula non fuisset ? Atqui ideò præter Hebraicam Græca etiam & Latina additæ sunt, quia plerique Græci Profelyti Hebraicam , nonnulli autem Romani Græcam simul & Hebraicam ignorabant.

Tertiò, cur Paulus actor. 22. Judæos alloquens Hebraicè eis loquutus est, nisi quia Judæis hæc lingua tunc erat vernacula?

Quartò, cur D. Mathæus Evangelium pro his, qui Jerosolimis & in Judæâ crediderunt, scribens, id Hebraicâ seu Syriacâ linguâ composuisset, nisi lingua ista tunc Judæis vernacula fuisset? Porro Hæbræo-Syriace scripsisse Evangelium testantur omnes veteres, Papias apud Eusebium, Irenæus, Hyeronimus, Epiphanius, Author Synopsi Scripturæ apud Athanasium, Cyrillus Jerosol. Augustinus & cæteri. Imo Irenæus & Hyeronimus disertè asserunt istud Evangelium linguâ vulgari Judæorum fuisse conscriptum.

Quintò, idem disertè asserit D. Petrus actor 1. dum dicit agrum triginta argenteis emptum linguâ Jerosolymitanâ vocatum esse Haceldama; quæ vox cum sit Syriaca manifestè demonstrat linguam Syriacam Jerosolimis vulgarem fuisse.

Sextò, idem ex eo quoque probatur, quod Epistola D. Pauli ad Hæbræos Hæbræo-Syriace scripta fuerit, ut testantur ex veteribus quicumque eam D. Pauli esse agnoverunt.

Ex quibus omnibus plusquam certò colligitur linguam Syriacam Jerosolimis tempore Christi & Apostolorum fuisse vernaculam; & Isaacum Vossium, cum id negavit, æstu disputationis & præjudicio anticipatæ opinionis pro septuaginta Interpretibus abreptum fuisse; proindèque nimis inconsideratè negasse aliam Scripturam à versione τῶν ὀ in Synagogis lectam fuisse.

Ex Talmude tamen aliqua suboritur difficultas contrà istam sententiam pro parte Vossii: legitur enim in Ghemarâ Hyerosolimitanâ solâ cap. 17. R. *Levi ivit Casaræam, audiensque eos legentes lectionem Deuteronomii 6. Gracè voluit impedire ipsos. R. Iose id animadvertens irascebatur dicens: qui non potest legere Hebraicè, num omninò non leget? Imò legat quâcumque linguâ quam intelligit & novit, & sic officio suo satisfaciet.* Idem etiam confirmatur ex Justino Apol. 2. ubi testatur versionem Græcam ab omnibus Judæis legi; quod Tertullianus Apologetici cap. 18. de Synagogis disertè asserit. Sed facile est difficultates istas solvere. Id enim quod de Ghemara objicitur, sententiam Vossii potius evertit, quam

quam statuit. 1°. Enim patet ex isto loco talem lectionem insolitam fuisse nec in consuetudine habitam, alioqui R. Levi nunquam tentasset ipsam prohibere. 2. Licet R. Jose pro lectione Græcâ steterit, eam tamen in iis locis tantum tueri aggressus est, ubi nullus Hebraicè legere noverat, ac consequenter tacitè concedebat à versionis Græcæ lectione abstinendum, ubicumque Hebraicæ litteræ legi possent. Sicubi ergo; versio τῶν δὲ publicè in Synagogis legeretur, id, inquit Salmasius, fiebat apud Profelitos tantum, qui Hebraicè legere nesciebant, non apud Judæos natione qui lectionem illam non ignorabant. Ad Justinum autem respondetur eum non loqui de lectione, quæ in Synagogis fiebat; Tertullianum verò id de Synagogis etiam Judæorum asserere, quia de facto in Synagogis Profelitorum, qui etiam Judæi dicebantur, talis lectio frequentabatur.

Si cui tamen ista non faciunt satis, cum notare velim nos in Salmasii sententiâ tuendâ, cum de Græcis agitur, nonnihil hæsitare; licet de eâ, cum sermo est de Judæis Hierosolymitanis, Babiloniis & Assiriis, nullatenus dubitemus. Sed hæc de versionis τῶν δὲ apud Judæos autoritate dicta sufficiant. Ad Christianos veniamus.

Quod igitur attinet ad autoritatem quam apud Christianos primis Ecclesiæ sæculis versio septuaginta Interpretum habuit, certum est maximi eam fecisse omnes veteres, qui quatuor primis sæculis floruerunt. Nec solum in pretio eam habuerunt, sed summis etiam laudibus cumularunt. Hinc eam ubique contrâ omnes adversarios tuentur. Hinc docent septuaginta Interpretes in suâ versione à Deo fuisse inspiratos. Hinc denique illos Prophetarum vices & officia peregrisse asseruerunt. At verò tanta hujus versionis apud veteres Christianos existimatio ex duplici fonte profluxit. 1°. Ex acceptâ à Judæis opinione, quod septuaginta Interpretes in totidem cellulis à Ptolomæo inclusi, sic in Hebraico textu vertendo à Deo inspirati fuissent, ut post septuaginta dies collatis inter se translationibus singulis, tanta inter omnes convenientia comperta esset, ut non sine magno stupore deprehendissent Philadelphus & omnes qui aderant,

eos non solum eundem sensum ubique reddidisse, sed ita etiam in vocibus convenisse, ut ne in unâ quidem ab invicem discrepassent. Alterum ex quo hæc versio tantam apud veteres nacta est auctoritatem, est quòd persuasum habuerint plerique sanctorum Patrum Christum Dominum & Apostolos, in locis ex veteri Testamento citandis neglecto Hebraico textu solius versionis τῶν ὀ. rationem habuisse. Verùm in hoc utroque capite D. Hieronimus, qui minus in versionem Græcam propendebat, & ergà textum Hebraicum magis afficiebatur, à communi aliorum opinione recessit. 1. Enim historiam de septuaginta cellulis tanquam fabulam rejicit, & ex contrario Aristæ testimonio confutat. 2. Contendit Christum & Apostolos, cum loca de veteri Testamento adduxerunt, Hebraico textu usos fuisse non versione τῶν ὀ. nisi interdum cum ad populos loquebantur, quia communiter jam recepta & pervulgata erat apud Gentes, ut habet S. Doctor in quæstionibus ad Genesim. Ex hâc diversitate D. Hieronimi ab aliis patribus, factum est etiam ut idem S. Doctor de versionis τῶν ὀ. auctoritate, longè aliam conceperit opinionem. Non solum enim eos Prophetas egisse aut fuisse à Deo inspiratos, palàm constanterque negavit: sed etiam errori obnoxios fuisse, & de factò pluribus in locis errasse sine hæsitacione asseruit. Quod si quandò aliud de septuaginta Interpretibus sensisse videtur & similia cæteris Patribus in eorum laudem protulisse, id ex aliorum opinione potiùs quàm ex propriâ fecit, & magis ut inimicis, qui de contemptâ Ecclesiæ versione ipsi invidiam apud multos fecerant, os obstrueret, quàm ut suum calculum reliquis Patribus adderet, aut versioni huic auctoritatem conciliaret. De quibus omnibus consuli possunt præfationes ejusdem S. Doctoris in diversos Scripturæ libros. Et hæc quidem de Patribus.

Jam verò recentiores trifariàm dividuntur, circà auctoritatem hujus versionis. Alii enim eandem huic versioni conciliare conantur auctoritatem, quam ei olim Patres tribuerunt; ut nimirum in omnibus infallibilis & à Spiritu sancto inspirata habeatur: adduntque ad Patrum sententiam hanc

versionem Hebraico textui , cum diversitas occurrit , longè esse præferendam : quod Patres nunquam docuerunt , ut supra à nobis ostensum est. Alii verò ita eam deprimunt , ut eam tanquam corruptissimam & penè infinitis scitentem erroribus versionem rejiciant , ac sæpè Interpretes ignorantia transferendo accusent ; proindeque veritatem Hebraicam illi in omnibus præferendam censeant. Alii denique mediâ incedentes viâ sic versionis hujus partes tuentur , ob venerandam ejus canitiem , & eam quam Ecclesiæ nascenti utilitatem attulit ; ut tamen ejus authores non fuisse Prophetas à Deo inspiratos , sed Interpretes errori obnoxios definiant , textumque Hebraicum in plerisque etsi non semper ei præponant. Secunda sententia manifestè excessu peccat. Neque enim ita corrupta est , quam nunc habemus , Græca versio , ut diversa esse censenda sit ab eâ , quam veteres habuerunt. Si pauca excipias , quæ ex Theodotionis & aliorum versionibus cum illâ commixta sunt , cætera omnia ferè cum iis conveniunt , quæ olim ex eâ à Patribus adducta sunt. Sæpè etiam in iis locis in quibus recentiores ignorantia culpam septuaginta Interpretibus objiciunt , inde tantùm provenit diversitas , quòd aliter tunc legerint , quàm à nobis hodie legatur. Denique nævi qui Amanuensium oscitantia in diversis locis resperfi sunt , huic versioni in vitium verti nequeunt. Quæ verò inter primam & tertiam sententiam intercedit differentia , maximâ parte oritur ex præjudicatâ opinione eorum quæ de hâc versione à Patribus dicta & credita sunt. Quamobrem ut tertiam sententiam hic tueamur , discutienda à nobis est historia de septuaginta cellulis Interpretum , & utrum Christus & Apostoli huic versioni ita addicti fuerint , ut Hebraico textu neglecto , semper ex eâ testimonia deprompserint.

Historia Cellularum vix ullam hodie potest facere difficultatem. Jam enim satis convenit inter eruditos eam fabulis & figmentis Judæorum esse annumerandam. Enim verò ut olim à Hieronimo notatum est , cum nec Philo , nec Josephus , nec ipse Aristæas , qui nihil eorum omisit ex quibus hæc versio commendari poterat , de circumstantiâ illâ,

quæ tanti momenti fuisset , quidquam dixerint : imò cum Aristéas ipse huic historiæ apertè contrarius sit , dum narrat Interpretes simul in uno loco positos , ac inter se differentes totum opus perfecisse ; nemo est qui non videat historiam istam , meram esse fabulam quam post Aristéam Judæi excogitarunt ut majorem suæ versionis auctoritatem conciliarent. Licet autem aliam hujus fabulæ originem non sit necesse quærere præter Judæorum ingenium ad quælibet figmenta pronum ; si tamen hic esset conjecturæ locus , suspicarer illam , ex malè intellecto Philonis loco , ubi de his Interpretibus agit , profuxisse : sic autem se habet Philonis locus lib 2.º de vitâ Mosis : *In eo secessu cum consedissent solitarii , nemine interveniente arbitro præter naturæ partes Terram , Aquam , Aërem , Cælum de quibus proximum prodituri erant Mystéria ; tanquam numine correpti prophetabant , non alii alia ; sed omnes ad verbum , quasi quodam suggerente & interius dictante singulis invisibiliter.* Quibus verbis exaggerat quidem Philo , quomodo septuaginta Interpretes in Pharum insulam secedentes , & à cæterorum hominum consortio separati , suam versionem confecerint : sed nullatenus asserit eos in totidem cellulis fuisse inclusos , ut volunt cellularum assertores. At cum & de prophetiâ loquatur & de singulorum in eadem verba consensu , & de solitario secessu , facillè potuit quis indè inferre eos in tali recessu à se invicem separatos , sicque in diversis locis seu cellulis ad suam versionem elaborandam fuisse inclusos.

Quod spectat ad aliud caput quæstionis , utrum scilicet Christus & Apostoli neglecto Hebraico textu hanc versionem sequuti sint ; sciendum est non unam esse Eruditorum hæc de re sententiam. Alii enim ut Vossius , affirmativam sequuntur cum plerisque Patribus. Alii ut Salmasius & Simonius negativam tenent. Alii denique ut Usserius , Capellus & Valtonus mediam amplectuntur ; docentque modo versionem istam , modo Hebraicum textum à Christo & Apostolis citatum fuisse , ne aut versionem communiter jam receptam negligere , aut eam textui præferre videren-

rur. Ut autem mentem nostram circa difficultatem hanc
 aperiamus ; distinguendum nobis videtur inter Christum
 Dominum & Apostolos. Cum enim Christus Dominus sol-
 lis Judæis prædicaverit, eorumque regionem nunquam egres-
 sus sit ; probabilius videtur eum Scripturæ loca quæ cita-
 bat ex Hebraico textu sumpsisse quàm ex versione τῶν ὁ.
 Hoc à nobis indè probatur , 1.º Quod lingua Græca Christo
 Domino non esset vernacula, sed Hebraica seu Syriacæ ; quæ
 cum multò majorem habeat affinitatem cum Hebraico
 Scripturæ textu quàm Græcâ , verisimilius videtur Christum
 Hebraicam Scripturam usurpasse quàm Græcam. 2.º Quia
 S. Matthæus qui pro Judæis fidelibus Hebraico - Syriacè
 scripsit Evangelium , testimonia quæ affert citat juxtâ He-
 braicû textum non juxtâ versionem τῶν ὁ ; ut ex Evangelio Na-
 zaræorum annotavit D. Hieronimus lib. de Scriptoribus Ec-
 clesiasticis in Matthæo. At quis credat Matthæum voluisse
 testimonia ex Hebræo desumere, si Christus Dominus eâ-
 dem linguâ loquens, ea non ex Hebræo, sed ex versione
 τῶν ὁ desumpsisset ? 3.º Quia nonnunquam ea loca, quæ
 tum Christus, tum Evangelistæ citant nullibi extant in ver-
 sione τῶν ὁ, sed in solo textu Hebraico, ut v. g. *Ex Ægypto
 vocavi filium meum. Qui credit in me flumina de ventre ejus
 fluent aqua viva. Videbunt in quem transfixerunt. Naza-
 reus vocabitur &c.* Cum igitur ista loca ex versione τῶν ὁ
 non possint esse desumpta, probabilius videtur etiam alia
 loca, quæ à Christo Domino adducta sunt, ex eodem tex-
 tu fuisse desumpta, quàm statuere Christum Dominum qui
 non Græcè, sed Hebraicè, & ad Judæos loquebatur, mo-
 do ex textu, modo ex versione loca citasse. 4. Denique
 idem probant pleraque alia loca, quæ licet in versione
 τῶν ὁ & in Hebræo non reperiantur, constat tamen ex di-
 versitate lectionis, ex Hebræo, non ex versione esse citata,
 ut verbi gratiâ Matth. 2.º 18. *Rachel plorans filios suos & no-
 luit consolari.* In versione enim habetur *Rachel plorans no-
 luit conquescere super filiis suis.* Item Matth. 4.º *Lux orta
 est eis ; in versione habetur. Lux orietur vobis.* Isaïæ 9. 2.
 sic etiam Matth. 8.º 17. 12. 18. & 21. 5.º Loca citantur prout

jacent in Hebræo. At nulla afferri potest probabilis ratio, cur Evangelista aliter ista loca retulisset quàm in versione, si Christus Dominus secundùm quod habentur in versione, illa citasset. E contrà verò facilè reddi potest ratio, cur etsi Christus Hebraicum textum citarit, Evangelistæ nihilominùs pleraque loca quæ in versione habebantur, retulerint: nimirùm quia cum Græcè scriberent, & ad gentes quibus versio Græca jam diù nota erat & familiaris; non debuerunt aliter loca Scripturæ citare, quàm in eâ habebantur, nisi cum major vis alicujus loci in Hebræo postulabat ut juxtà Hebraicum textum referrentur. Cœterùm notant aliqui recentiores, ex quadraginta locis quæ de veteri Testamento in Evangeliiis citantur, viginti duo magis ad Hebraicum textum, quàm ad versionem accedere, quatuordecim verò esse quæ cum textu & versione conveniunt: quatuor autem quæ magis sequuntur versionem quàm Hebraicum textum; ac tandem quinque esse quæ relictâ versione, ut potè palàm vitiosâ, soli Hebraico textui ad amissim respondent.

Jam verò quod attinet ad Apostolos, qui Græcè & ad Græcos scripserunt, ac Græcè loquuti sunt, certum nobis videtur & extrà controversiam positum eos communiter Græcâ versione usos, præterquam in nonnullis locis ubi major vis expressionis erat in Hebræo, quæ peculiariter ad eorum institutum & dictorum confirmationem faciebat. Sic D. Paulus in epistolis, licet vulgò Græcam versionem sequatur, sæpè nihilominùs ad Hebraicum textum recurrit, ut Roman. 9. 17. 10. 15. 11. 4. 12. 19. 1. Corinth. 14. 21. 15. 54. &c. Consule Jacobum Usserium in Syntagmate cap. 3. & Capellum Criticæ sacræ lib. 2. cap. 1. 3. & 4.

Cæterùm Salmasii sententiam hic non moramur, qui absque ullo fundamento docet omnes Apostolos Hebraicè scripsisse. Sed neque aliam sententiam hic referendam aut confutandam arbitramur, quâ author Anonimus conatus est tribus dissertatiunculis, quæ ad calcem Criticæ Capelli referuntur, statuere neque Christum neque Apostolos versionem Græcam unquam laudasse, neque loca quæ in novo

Testamento de veteri referuntur, ex illa versione esse desumpta: sed ea potius quæ nunc locis citatis in versione habentur, ex verbis Christi & Apostolorum in illam esse translata. Docet etiam idem Anonimus Apostolos neque ex Græco, neque ex Hebræo loca Scripturæ citasse: sed ea ad suum institutum accommodasse, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: procedente verò tempore aliquos Interpretes, loca ista in Græcam versionem iisdem verbis quibus ab Apostolis adducta erant, transtulisse. Ideò autem hanc sententiam prætermittimus, ne in eâ confutandâ temporis iacturam faciamus.

His ista statutis circà loca quæ ex veteri Testamento in novo citantur, ut ad authoritatem versionis τῶν ὀ re-deamus; dicendum est, magnam ei deberi authoritatem, tùm propter eam quam habet antiquitatem &, ut nonnulli loqui amant, venerandam canitiem: tùm propter eam quæ veteribus Christianis debetur reverentiam; ut potè qui nullam aliam Scripturam, quâ publicè uterentur habuerint: tùm etiam quòd cum septuaginta Interpretes sæpè in suo codice aliter legerint, quàm in hodiernis Hebraicis habeatur, multis in locis textus hodiernus ad illam versionem emendari possit: tùm denique quod cum Interpretes isti nonnunquam paraphrastas egerint, eorum expositio interdùm magnam lucem locis difficillimis affert. Quia tamen aliundè certum est versionem hanc multis in locis deficere, & ante D. Hieronimi tempora in multis jam à pristino splendore decidisse, pluresque nævos habuisse, partim ob Amanuensium culpam, partim ob editionum diversitatem; illi plus æquo huic versioni tribuere nobis videntur, qui non solum eam textui præferunt, sed quidquid in eâ occurrit statim absque examine tanquam Dei oraculum recipiendum decernunt, & quidquid cum eâ non convenit, corruptelæ & depravationis insimulant.



DISPUTATIO NONA.

DE VARIIS EDITIONIBUS
versionis septuaginta Interpretum.

CUM versio septuaginta Interpretum, quæ omnium Scripturæ versionum antiquissima est, tribus jam ferè sæculis ante Christi Domini adventum trita fuerit, & apud Judæos plerosque in Ægypto aliisque Provinciis usu recepta; fieri non potuit quin diversorum Amanuensium inadvertentiâ, negligentia, oscitantia, temeritate, aut ignorantia, multas maculas contraheret. Sed cum post Christi Domini tempora, prædicato ubique Evangelio, non apud solos Judæos, sed apud omnes gentes evulgata sit, & infinitis propemodum exemplaribus aucta, hinc factum est ut crescente exemplarium numero sphalmatum quoque ac nævorum numerus augetur. Quod cum plerisque viris doctis perspectum esset nonnulli diversis temporibus diversisque locis suos codices juxtà leges Criticæ ex aliis melioris notæ codicibus emaculantes, versionem τῶν ὀ emendatiorem & puriorem ediderunt. Porrò tres ejusmodi editiones nobis occurrunt, quæ veteribus celebriores & apud eos magis receptæ sunt. Prima fuit Origenis. Secunda Luciani Martyris. Tertia Hefychiis de quibus sigillatim hic nobis agendum est; postea verò de recentioribus ejusdem versionis editionibus nonnulla subjiciemus.

Inter omnes editiones versionis τῶν ὀ celeberrima & majori in pretio habita semper fuit, quam Origenes Adamantius in suis Exaplis adornavit. Enim verò omnem curam adhibuit Origenes ut eam omnibus modis illustraret, & Ecclesiæ utilem redderet. In iis perquirendis quæ ad eam aliquid conferre poterant, studio non defuit: in iis comparandis quæ opus promovere poterant, impensas non timuit: in

iis denique quæ editionis elucubrationem spectabant, labori non pepercit. Primum igitur versiones Aquilæ, Theodotionis & Symmachi sibi comparavit : deinde cum temporibus Caracallæ & Alexandri Mammeæ filii Imperatorum duæ aliæ repertæ fuissent, eas etiam sibi adscivit Origenes, iisque tertiam in Psalmos Hierichunte repertam adiecit. Eam porro quæ sub Alexandro reperta est, Nicopoli inventam fuisse constat, alteram verò Hierichunte juxtà Epiphanium de pond. & mens. & authorem Synopsis inter opera Athanasii. Sed Eusebius asserit incertum esse undè Origenes eam habuerit. Has igitur omnes versiones unà cum versione τῶν ὀ quam ex Serapæo codice exscripserat, & Hebraico textu, tam Hebraicis quàm Græcis litteris scripto, in unum corpus colligens, & per totidem columnas distinguens, Exapla primum composuit, postea verò omissis Hebraico textu & posterioribus versionibus ex Aquilâ, Symmacho, Theodotione & septuaginta Interpretibus Tetrapla confecit. Porro hunc ordinem Exapla continebant, ut primò textum Hebraicum propriis characteribus, deinde eundem Græcis litteris conscriptum, tertio Aquilæ, quarto Symmachi, quinto septuaginta Interpretum, sexto Theodotionis, septimò quintam, octavo sextam & septimam in Psalmos exhiberent versiones. Ex quo apparet Josephum Scaligerum, nisi eum malè intellexerit Hensius, deceptum fuisse cum docuit in Exaplis Origenis textum Hebraicum utroque caractere scriptum post omnes versiones collocatum fuisse : contrarium enim apparet ex omnibus veteribus, ac etiamnum ad oculum conficitur in specimine Exaplorum, quod ex manuscripto Barberino in sextum volumen Bibliorum intulit Waltonus.

Multa sunt circà Exaplorum editionem, de quibus plerique recentiores inter se dissentiunt & deceptant. Primum enim de Exaplorum nomine ; undè scilicet fluxerit. Circà quod omisâ Erasmi & Magdeburgensium etimologiâ ut nimis alienâ, qui illa à verbo ἐξάπλω explano, denominata volunt, duæ sunt potissimum sententiæ. Alii enim ex numero columnarum Exaplorum nomen tenent : alii verò ex numero versionum.

Pro primâ sententiâ stant Waltonus, Symonius & aliquatenus Huetius. Pro alterâ verò pugnant Ferrandus, Isaac Vossius, & Jacobus Usserius; cum hac tamen differentiâ quòd Usserius editiones Scripturæ potiùs attendit quàm versiones: undè duas hebraïci textus columnas pro unâ editione numerat. Vossius autem & Ferrandus contendunt hebraïcum textum ad Tetraplorum aut Exaplorum nomen nihil contulisse, sed solas versiones. At verò doctissimus Huetius qui pro columnis magis inclinât omnem difficultatem amovere sibi videtur, dum notat quintam aut sextam versiones non omnes Scripturæ libros sed aliquos tantùm exhibuisse, ut testis est D. Hieronimus in caput tertium Epistolæ ad Titum. Ex quo factum putat, ut licet cum aliis editionibus in eodem Exaplorum corpore legerentur; nihilominus ista omnia quæ alicubi ἑπταπλα, ὑκταπλα, & ἐννέαπλα, dici poterant; ex majori parte Exaplorum nomen retinuerint.

Ut autem in re difficillimâ mentem nostram aperiamus, licet Huetii sententia Epiphanium & Ruffinum pro se habere videatur, qui ex quatuor primis versionibus & duplici hebraïco textu, Exapla denominant: nihilominus Eusebii locus, quem citat & refert Ferrandus, ipsi & Vossio magis favere videtur, & ex versionum, quas recensuerat, numero Exaplorum nomen eruere. Hæc autem sunt Eusebii verba: *Tantam porrò curam ac diligentiam in divinis Scripturis perscrutandis adhibebat Origenes; ut Hebraïcam etiam linguam didicerit, aliorum quoque qui præter septuaginta Scripturas interpretati sunt, versiones pervestigaverit, nonnullas denique interpretationes à tritis illis vulgatisque Aquilæ scilicet Symmachi & Theodotionis diversas repererit, quas ille quidem ex nescio quibus erutas angulis, primus in lucem produxit; & cum obscurum incompertumque haberet cujusnam essent auctoris, hoc solum de ipsis annotavit; alteram quidem à se receptam esse Nicopoli juxtâ Actium, alteram verò in alio quodam loco. Quin etiam in Exaplis Psalmorum exemplaribus post insignes illas quatuor editiones cum non quintam modo, sed etiam sextam ac septimam apponeret versionem, rursus in*

principio unius notavit inventam illam fuisse Hierichane in dolo temporibus Antonii Caracalla, qui Severi filius fuit. Has igitur omnes interpretationes cum in unum corpus collegisset, & per certa cola ac membra distinxisset, & sibi invicem è regione opposuisset unà cum Hebraico textu, Exaplorum nobis exemplaria reliquit. Postea verò editiorem Aquile Symmachi & Theodotionis cum septuaginta Interpretum versione, seorsim in terraplis digessit. Hactenus Eusebius. Ex quibus verbis manifestè apparet ipsum in Exaplorum denominatione, magis versionum quàm textus Hebraici rationem habuisse. Sed non est necesse diutiùs in hâc disputatione immorari quæ ferè est de solo nomine.

Cæterùm hallucinatur Isaac Vossius cum asserit Hebraicum textum in Tetraplis utroque caractere exaratum, unà cum quatuor versionibus locum habuisse. Non solum enim Eusebius, Epiphanius & Hieronimus de solis versionibus meminerunt; sed etiam apertè repugnat Epiphanius cum istis quatuor versionibus unà cum duplici textu Hebraico nomen Exaplorum tribuit. Neque felicior est idem Vossius cum absque ullo veterum testimonio solo anticipatæ opinionis præiudicio nixus, asserit etiam Samaritanum Pentateuchum tam in Exaplis quàm in Tetraplis locum habuisse. Quis enim credat Eusebium, Epiphanium, Hieronimum & Ruffinum qui multis in locis de Origenis opere scripserunt & singulas illius editiones recensuerunt, Samaritanum Pentateuchum silentio prætermisuros fuisse, si inter cæteras editiones locum habuisset? Eusebium quidem pro se adducit Vossius: sed ut eum ad suas partes inclinet ejus locum sub specie correctionis corrumpere cogitur: cum enim Eusebii locus sic latinè reddi debeat: *Vsurpatas apud Iudeos Scripturas primigenias, ipsis Hebraorum litteris descriptas comparasse*: Vossius ita locum vertit ut dicatur eum comparasse sibi Scripturas, *Quæ apud Iudeos prototypis Hebraorum litteris descriptæ esse feruntur*, pro accusativo Græco πρωτότυπες dativum πρωτότυποις substituens. Addendum quod etiamsi locus pro Vossii iudicio corrigendus esset, nihilominus de primigeniis Hebræorum characteribus, non per oppositionem ad Esdræ characteres, sed

ad Græcos sub quibus textus hebraicus in Exaplis representabatur, intelligendus esset.

Jam verò alia exurgit quæstio circà hanc Origenis editionem; nimirum utrùm Origenes sicut Tetrapla distinxit ab Exaplis, & separatim edidit; sic etiam Octapla ab iisdem Exaplis distinxerit, & editionem quæ nomen istud haberet elucubravit. Affirmativam statuere videtur Epiphanius loco citato de pond & mens. quem secuti sunt hæc omnes Eruditi ut Petavius, Valtonus, Symonius, Usserius, Armacanus, & alii. Sed negativam multo melius astruunt nonnulli viri doctissimi, Henricus Valesius, Ferrandus, Vossius, & Pinius asserentes certum esse neque Eusebium, neque Hieronimum, quibus hæc in re major fides adhibenda est, Octapla ab Exaplis distinxisse; siquidem inter Exaplorum editiones & versiones quintam & sextam numerant atque septimam, ex quibus alii Octapla conficiunt; nec ullius editionis præterquam Exaplorum & Tetraplorum meminerunt. Porro, ut id obiter dicam, nonnulli viri docti ex malè intellecto eodem Epiphani loco decepti, putarunt Tetraplorum editionem Exapla præcessisse, cum Eusebius contrarium expressè tradat.

Supereft ad hujus materiæ absolutionem ut non nulla de operâ, quam in editione τῶν δὲ corrigendâ, adhibuit Origenes, & de iis quæ illi inseruit, adjiciamus. Quod operam attinet: rem ab alio meliùs discere non possumus quàm ab ipso Origene, qui de eâ sic scribit: *In exemplaribus quidem veteris Testamenti quæcunque fuerunt consonantia Deo præstante coaptare potuimus; utentes judicio cæterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud septuaginta dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus reliquis, consonantia servavimus, & quædam quidem notavimus quasi non posita in Hebræo, non audentes ea omnia auferre, quædam sub astericis addidimus, ut sit manifestum, quoniam quæ non fuerunt posita apud septuaginta, ex editionibus cæteris addidimus convenienter Hebræo.* Hæc Origenes. Ex quibus apparet ipsum versionem τῶν δὲ ad alias omnes editiones, & ut verisimillimum est ad melioris notæ codices

contulisse, & quàm accuratè potuit edidisse. In eam verò nonnulla ex aliis inferuisse sub astericis, ex eodem loco constat. Quod ut melius intelligatur, advertendum est ex D. Hieronimo Origenem duo circà hanc versionem egisse. Primùm est quòd ea loca notarit quæ ex Hebræo aberant, & in editione τὼν ὀ abundare videbantur. Secundum quod ea loca addiderit, quæ cùm in versione non appaerent, in Hebræo tamen legebantur. Primam autem elucubrationem Obelisco, secundam Asterico annotavit. Has quidem notas, non alio consilio usurpatas asserit Ruffinus, quàm ut sciremus, non quid nobis, sed quid Judæis adversum nos certantibus, aut deesse, aut abundare videretur. Verùm aliter censet Hieronimus; vult enim Astericos ab Origene appositos, ut versioni ex Hebræo lux nova accederet: Obeliscos verò, ut quod in versione abundabat, veru confodiendum esse indicaretur. Quæ Hieronimi sententia magis convenire videtur cum adducto Origenis loco, quàm expositio Ruffini.

Præter Astericos & Obelcos, quibus hæc versio in Exaplis passim notabatur, aliarum etiam notarum meminit Epiphanius, nimirùm Lemnisci & Hypolemnisci; sed valdè obscurus est in eorum usu exponendo. Id tamen velle videtur, Lemniscum tunc ab Origene positum, cum plura Interpretum paria (Interpretes enim in triginta sex paria, & totidem cellulas divisos fuisse putavit Epiphanius:) inter se in versione convenerant; Hypolemniscum verò cum unicum par ita erat. Sed hanc expositionem, quam secuti sunt etiam Hesychius & Isidorus, meritò ut fictionem rejicit Andreas Masius. Joannes verò Curterius alium istarum notarum usum excogitavit; vult enim Lemniscum tunc appositum fuisse, cum Interpretes in verbis quidem conveniunt; dissentiunt verò in sensu: Hypolemniscum autem, cùm tam in verbis, quàm in sensu discrepant. Sed longè probabilior est sententia Masii docentis Lemniscum notatum fuisse, cum plures, Hypolemniscum cum pauciores codices in unam lectionem conveniebant. Porrò hæc erat istarum notarum forma, Obelisci ← Asterici * Lemnisci ∞ Hypolemnisci. ∞

Caterùm licet D. Hieronimus in Origenem paulò severior has ejus notas & additiones alicubi vituperet, & corruptionis nomine infimulet; certum tamen est notas illas & ingeniosè excogitatas, & utiliter ab Origene additas fuisse. Quòd si quæ postmodum à librariis omissæ confusionem aliquam in versionem τῶν δὲ invexerint, id non Origenis culpæ, quam nullam fuisse suo exemplo præbavit ipse Hieronimus, sed amanuensium negligentia tribuendum est. Verùm hæc de Origenis editione dicta sufficiant.

Quod spectat Hefychii & Laciani editiones, hoc unum de iis scimus, earum primam ab Hefychio Ægyptio Episcopo sub finem tertii sæculi elaboratam fuisse; secundam verò à Luciano Presbytero Antiocheno. Hanc circà Constantinopolim & Antiochiam, illam verò Alexandria & in Ægypto locum obtinuisse testis est Hieronimus in epistolâ ad Chromatium his verbis: *Alexandria & Ægyptus in septuaginta suis Hefychium probat: media inter hos Provinciae Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hæc inter se varietate compugnat.* Idem D. Hieronimus præfatione in Evangelia eos corruptionis in Scripturas invecæ arguit, & paucissimos habuisse codices asserit, quod non video, quò cum isto loco consiliari possit. En ejus verba ad Damasum: *Præmitto eos codices, quos à Luciano & Hefychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio: quibus utique nec in toto veteri instrumento, post septuaginta Interpretes emendare quid licuit; nec in novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis Scriptura antea translata, doceat falsa esse, quæ addita sunt.*

Circà Luciani & Hefychii editiones id notatu dignum est, eas Obelis & Astericis notatas fuisse ad imitationem Origenianæ editionis, ut ex Hieronimo satis clarè deducit Huetius. Sed in hoc vir doctissimus peccasse videtur, quod asserat istas notas ab ipsis versionum authoribus appositas fuisse. Cum enim altum sit hæc de re in totâ antiquitate silentium, nec ullus ex veteribus alteri quàm Origeni Obelos & Astericos tribuerit, verisimilius est notas illas ex Origene ad

Luciani & Hesychii editiones postea transiisse, quam eas ab istis authoribus manasse.

Porro antequam ea quæ veteres editiones hujus versionis spectant, absolvamus, Jacobo Usserio breviter occurrendum est, qui quoniam inter versionem communem septuaginta Interpretum & eam quæ extabat in Exaplis apud veteres distingui perspexit, non solum duas unius versionis editiones, sed duas omninò versiones esse arbitratus est. Sciendum est igitur istam veterum distinctionem nullatenus duas versiones designare, sed per versionem communem, seu *κοινήν*, ut Patres vocant, eam editionem intelligi, quæ ex iis descripta est exemplaribus, quæ ab Origene correctæ non sunt; ex quibus suam editionem postea confecit Lucianus, à quo etiam *λουκιανός* appellata est, ut notat D. Hieronimus. Per eam verò quæ in Exaplis habebatur eandem versionem intelligi, sed ex melioris notæ codicibus desumptam & emendatam, quam Origenes in Exaplorum & Tetraplorum editionem inseruit. Ea verò quæ pro duplici versione statuenda profert Usserius, arguunt quidem diversitatem aliquam inter istas editiones, sed non probant duas fuisse versiones.

Quod spectat ad recentiores hujus versionis editiones; quemadmodum apud veteres tres tantum fuerunt celebriores editiones (nam quæ ab Eusebio & Pamphilo tradita est, ab Origenis editione, quæ in Exaplis habebatur, non differebat) sic omnes quæ ab inventâ arte typographicâ factæ sunt à tribus præcipuis Complutensi, Venetâ & Romanâ, velut è fontibus rivi profluxerunt. Primam ex vetustissimis exemplaribus manuscriptis edidit Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus anno 1515. quam Arias Montanus 1571. in Biblia Regia, Comelinus anno 1599. in Parisiensia Tetrascelida Francisci Vatabi commentariis illustrata, & Michaël le Jay anno 1645, in Biblia Polyglotta transtulerunt. Secundam ex vetustissimis itidem exemplaribus apud Aldum edidit Andreas Asulanus anno 1518. quam ordine mutato Argentorati anno 1526 Joannes Laureicenus, Basileæ anno 1545 cum Melancthonis præfatione Joannes Hervagius, ibidemque anno 1550 cum latinâ versione Nicolaus Bulingerus,

ac demùm Francofurti cum notis Junii , ut vulgò creditur, anno 1597. ejusdem urbis Typographi recudi procurarunt. Tertiam denique Romæ nobis tradidit Antonius Caraffa Cardinalis anno 1587. ex vetustissimo codice Vaticano , cui ex duobus aliis nonnullis in locis suppletum est. Hanc Græcè tantùm editam Flamminius nobilius collectis , quæ apud veteres Patres ex ea proferuntur testimoniis paucis additis , ubi veterum loca deerant latinam fecit , & anno sequenti ibidem edidit. Utramque autem , id est tam Latinam quàm Græcam versionem cum scholiis & notis elegantissimè edidit Parisiis Joannes Morinus anno 1628. apud Nicolaum Bluon. Eandem in Biblia Polyglotta Londini anno 1657. edita transtulit Brianus Waltonus, ac demùm quibusdam immutatis ex manuscripto quem Alexandrinum & suum Anglici scriptores appellant ibidem in 4^o. separatim ediderunt.

Quæritur vulgò quænam istarum trium editionum sinceram septuaginta Interpretum versionem magis referat. Circa quod non una est apud Eruditos sententia. Romanam plerique viri eruditi cæteris præferunt , ut Andræas Masius, præfat. in Josue , Joannes Morinus præfat. in sua Biblia , & exercit. 9. Brianus Waltonus in prolegomenis ad Biblia Polyglotta, & Simonius l. 2. Criticæ c. 3. At contra Isaac Vossius eam omnium minùs sinceram magisque corruptam esse contendit. Complutensem verò , quam alii etiam Venetæ postponunt , duabus aliis anteposit. At certè in eâ re, quâ à plerisque viris doctis dissentit , suam sententiam non satis firmis probat argumentis. Ut enim Romana editio suos habeat nævos , cum tamen aliæ pluribus adhuc scateant mendis , his Romanam postponere nulla ratio suadet. Complutensem verò editionem dum Hebraico textui accommodare auctores ejus studuerunt, à genuinis septuaginta Interpretum codicibus multùm recesserunt, ut Jacobus Usserius in syntagmate de septuaginta Interpretibus c. 8. brevi errorum specimine exhibito facilè demonstrat. Dum tamen J. Morinus tam in præfat. suæ editionis quàm in exercitationibus Biblicis suum exemplar nimis effert laudibus , & paucissimis exceptis , mirum & omnimodum cum vera τῶν ὀ versione consensum habere

habere contendit, à rectâ semitâ sui operis præjudicio abreptus, exorbitat. Enim verò idem Usserius doctissimè probat multis hanc in rem ex ipsâ editione adductis exemplis, & cum iis quæ de versione τῶν ὁ veteres notarunt collatis, nullam esse ex quatuor notis, quibus suam editionem τοὺς ὁ in omnibus repræsentare contendit Morinus, quæ illi in omnibus conveniat, imò quæ eam multis scatere nævis & multis corruptionibus mixtam non demonstrat. Sic ergo Romana editio cæteris præferenda est, ut tamen ad eam emaculandam & primæ sinceritati restituendam plurima adhuc desiderari fateamur.

Neque est quod quisquam objiciat antiquitatem codicis Vaticani, ex quo editio illa desumpta est, quem D. Hieronimi tempora præcessisse volunt. Nam ut de tantâ antiquitate, de quâ nonnulli hæsitant, quæstionem non moveam, antiquitas illa codicem ab errore immunem non arguit. Certum est enim D. Jeronimi ætate plerosque codices τῶν ὁ multis nec levibus corruptelis laborasse; ac inter alias causas quæ sanctum doctorem ad aliam versionem ex Hebraico textu conficiendam impulerunt corruptionem versionis τῶν ὁ non ultimam fuisse, ut ipse testatur pluribus in locis.

DISSERTATIO DECIMA.

De Latinâ Versione Vulgatâ.

CUM ab initio nascentis Ecclesiæ Græca versio 70. Interpretum, quæ jam diù apud Græcos autoritatē adepta erat, per totum Orientem in omnibus Ecclesiis obtinuerit, hinc factum est ut cum Latini de Scripturæ versione suis procurandâ cogitarunt, illam in suam linguam converterint, eo consilio ut in eadē Scripturæ lectione univèrsa Ecclesia conveniret. Licet autem temporis processu, versiones latinæ penè infinitæ prodierint, una tamen inter alias, quam Augustinus Italiam, Hieronimus Vulgatam, Gregorius veterem nuncuparunt,

quamque omnium primam fuisse meritò suspicamur, principem locum obtinuit. Hanc sub Apostolorum temporibus elaboratam multi opinantur, nec sine aliquo fundamento, ne Latina Ecclesia Scripturarum thesauro tandiù privaretur. At quò demùm tempore, & à quo facta sit, certò definiri nullatenùs potest. Ejus authorem in vertendo fuisse Θεωπρεύσου cum asserit Serrarius, plerisque nugari videtur; præsertim cum ejus sententia nullo nixa sit veterum testimonio. Certè quam huic versioni auctoritatem veteres tribuerunt, non à Latinis sed à Græcis Interpretibus mutuati sunt.

Porro versionem hanc multis jam sæculis obliteratam, & omninò extinctam, Flaminius nobilius superiori sæculo excitare aggressus, & restituere conatus est. Cujus opus etsi propter immensum laborem sedulamque quam in evolvendis Patribus impendit operam, laudem & æstimationem Eruditorum mereatur; non est tamen existimandum illud veterem Vulgatam, eo modo quo tempore Patrum exstitit, nobis omninò representare. Præterquàm enim certum est sanctos Patres in locis Scripturæ citandis sæpè sensum potiùs attendisse quàm verba; constat etiam eos non ita Vulgatæ adhæsisse, quin interdum aliis versionibus uterentur; ut ex eo palàm sit, quòd in diversis Patribus plerumque diversimodè eadem loca Scripturæ referantur. Quæ cum ita sint, de antiquâ versione judicium certum ferre non possumus, nec proindè de eâ fusiùs agere necesse habemus. Ad eam igitur quæ hodie nostra est, sermonem convertimus.

Circà Vulgatam hodiernam duæ potissimum quæstiones moveri solent. Prima ejus authorem, secunda ejusdem auctoritatem inquirat. Authorem quod attinet, plerique Catholici eam Hieronimo tribuunt, inter quos sunt Eugubinus, Mariana & Serrarius: nonnulli tamen ut Pagninus, Driedo, & Erasmus, quibus heterodoxifère omnes adstipulantur, eam sancto Doctori abjudicant. Verùm nisi præconceptum in vulgatam versionem odium, plerosque ex Protestantibus rapuisset, & errata, quibus ante correctionem scatebat, nonnullos ex Catholicis movissent, facillimum erat D. Hieronimum in hâc versione authorem agnoscere.

Primò enim id ex eo patet, quòd vulgata versio hodierna eadem sit cum eâ quæ in commentariis D. Hieronimi in Prophetas ex Hebræo facta reperitur. Si quis enim eas inter se contulerit, vix in integro capite unius verbuli differentiam annotabit.

Secundò D. Hieronimus iis omnibus libris quos ex Hebræo convertit, præfationes apposuit, ut ipse testatur; at eas omnes vulgatæ versioni in omnibus codicibus præfixas cernimus. Quis autem credet totum D. Hieronimi opus amissum esse; omnes autem ejus præfationes interitum evasisse? Aut quis non credet potiùs istas præfationes propter opus Hieronimi in Vulgatâ asservatum, etiam fuisse conservatas?

Tertiò clarum est vulgatam versionem non ex 70. Interpretibus, sed ex Hebræo factam esse. Iis enim in locis, quibus ab Hebræo differunt Interpretes, differt quoque, ut plurimum, Vulgata ab Interpretibus, & cum Hebræo convenit: in aliis verò locis, quibus eadem profert uterque codex, vulgata versio suam nihilominùs originem adhuc ostendit; versionis enim phrasi neglectâ Hebraicam ferè semper ad litteram exprimit. Atqui certum est nullum ex veteribus præter D. Hieronimum versionem ex Hebræo fecisse. Non alteri igitur quam S. Doctõri vulgata versio tribuenda est.

At certum est nihilominùs versionem istam non ita pertinere ad D. Hieronimum, ut nihil omninò, quod ipsius Hieronimi non sit, in eâ habeatur. Primò enim liber Psalmorum non est ex versione Hieronimi; sed ex versione τῶν ὀ & ut multi volunt ex correctione Luciani: quod suo loco discutiemus. Secundò, neque etiam Hieronimo tribui possunt libri Machabæorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Baruc, cum libros istos Hieronimus nusquam verterit: cæteros verò paucissimis exceptis quæ tum ex veteri Vulgatâ, tum ex Theodotionis versione admixta sunt, totos esse Hieronimi dubitari nequit. Enimverò quod ad ea attinet quæ ex veteri Vulgatâ retenta sunt, sciendum est versionem D. Hieronimi non statim in Ecclesiâ obtinuisse auctoritatem; cum è

contrâ plurimos initio habuerit contradictores tam inter
 ejus amicos, quam inter adversarios, ne ipso quidem Au-
 gustino excepto, qui eam in suis Ecclesiis legi prohibuit. Sed
 post Hieronimi obitum id paulatim consecuta est, quod ip-
 so vivente obtinere non poterat. Procedente verò tempore
 sola etiam auctoritatem in usu obtinuit. Ex quo enim Gre-
 gorius magnus eam in libris *Moralium veteri* prætulit, ab
 aliis etiam sensim sine sensu prælata est, donec tandem
 sola recepta est veteri penitus neglectâ. Sed cum ita succes-
 sive nacta sit auctoritatem, ut aliquandiu sancti Patres par-
 tim novam partim veterem usurparint; hinc factum est ut
 etiam cum primas tenere & sola in usu esse cæpit, quædam
 etiam ex veteri quæ penitus abjici non potuerant, immix-
 ta habere cæperit, quæ deinde cum in eâ relicta & re-
 tenta sint, ad nos usque pervenerunt. Porro ex multis ca-
 pitibus hæc veteris versionis in nonnullis locis permixtio
 deprehenditur. Primò enim pluribus in locis quibus 70. In-
 terpretes ab Hebræo dissentiunt, *Vulgata* nihilominus cum
 illis convenit, ut Gen. 4. v. 8. 8. v. 7. 14. v. 5. &c. Secundò
 nonnullis in locis D. Hieronimus in suis commentariis ali-
 ter vertendum docet, quam in *Vulgatâ* habeatur, ut Gen.
 3. v. 15. 4. v. 8. &c. Tertio nonnullis etiam in locis *vulgata*
 versio quædam addit quæ in Hebræo non habentur, alibi
 verò nonnulla omittit quæ tamen habentur in Hebræo.
 Hinc est quod *Villalpandus* & *Pradus* afferunt centum in locis
 aliter vertisse D. Hieronimum quam in *Vulgatâ* habeatur. Ve-
 rum paulò audacior est ista assertio: nec enim ea quæ
 modo retulimus ita pressè sunt accipienda, ut quoties ali-
 quid diversum ab Hebræo, aut Hieronimi *Commentariis*
 in *Vulgatâ* reperitur, statim aliter ab ipso Hieronimo con-
 versum judicetur. Licet enim Hieronimi versio in plerisque
 Hebraicam litteram expresserit; nonnullis tamen in locis
 70. Interpretibus suam versionem attemperavit quo magis
 facilem aditum apud fideles ipsi consiliaret. Deinde rigorem
 grammaticalem vocum Hebraicarum non ita premendum
 in versione judicavit, ac in commentariis suis aut traditioni-
 bus Hebraicis pressit. Denique fieri etiam potest ut alicubi

D. Hieronimus aliter quidem verterit, postea verò in commentariis aliam versionem prætulit, ut eum fecisse cernimus ad Esaia. 17. Ubi cumque ergo Vulgata ab Hebræo aut Hieronimo differt, prius juxta Criticæ regulas ejus versio discutienda, & cum Hieronimo conferenda est, quàm ab ejus translatione aliena judicetur.

Cæterùm quæ hucusque de authore vulgatæ versionis diximus à nemine possunt in dubium revocari, ex quo doctissimus Joannes Martianæus Congregationis S. Mauri monachus ipsam D. Hieronimi puram versionem edidit ex vetustissimis codicibus M. SS. sub titulo *Divina Bibliotheca seu Canonis Hebraica veritatis*. Tanta enim est inter illam & nostram Vulgatam convenientia, ut iis libris quos notavimus & paucis locis exceptis, versionem D. Hieronimi Vulgata nostra de verbo ad verbum exprimat. Undè sic habet idem Martianæus proleg. 2. in tom. 1. operum D. Hieronimi: *Quamquam in vulgatâ sacrorum Bibliorum editione aliquot integri libri retenti sunt ex antiquâ illâ versione quæ usu obtinebat ante Ieronimum, maxima tamen pars veteris Testamenti pura puta est interpretatio quam è fontibus Hebrais nobis edidit eximius ille Doctõr. Et infra: adverte diligenter canonem Hebraica veritatis, uno psalterio excepto, totum reperiri in vulgatâ latinâ, cum duobus insuper Tobia & Judith volumibus de Chaldaico in Latinum conversis ab eodem Ecclesiæ Catholice Interprete maximo. Præterea habes in libro psalms posterior emendationem Ieronimi quam ipse edidit cum signis astericorum & obelorum.... Reliqui omnes libri instrumenti veteris retenti sunt ex illâ antiquâ vulgatâ quæ communis vel Italica dicta perhibetur. Hi sunt liber Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, ac libri Machabeorum primus & secundus. Nonnullas etiam deprehendimus sententias ac versus integros è veteri illâ editione in libros præcipuè Regum, inque Proverbia Salomonis derivatos. Hæc ille Jeronimianæ versionis restitutor. Ex quibus ea quæ de authore vulgatæ versionis diximus mirificè confirmantur.*

Jam verò ut ad alteram quæstionem veniamus, graves dudum sunt circâ vulgatæ versionis auctoritatem Protestantium

ac reformatorum cum Catholicis altercationes, nonnullæ etiam Catholicorum inter se dissentiones. Imprimis heterodoxi, ex quo Tridentini Patres Vulgatam authenticam declararunt, convitiis suis tum Vulgatam, tum Ecclesiam ipsam laceffere non desinunt, hanc tyrannidis, istam corruptionis accusantes. Sed quàm iniqui sint in Vulgatam dum eam corruptionis insimulant, & quasi pessimam versionem exagitant, norunt & agnoscunt quotquot hodiè apud ipsos cordati reperiuntur; hanc enim versionem maximi faciunt, & optimam esse fatentur. Quàm verò in Ecclesiam Catholicam sint injuriosi & maledici ex ipsismet etiam colligere & arguere promptum est. Cum enim probè noverint, (quod etiam nonnulli eorum referunt) plerumque Doctores Catholicos viros gravissimos & doctissimos, ex quibus etiam aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, docere non aliam fuisse Concilii mentem, cum vulgatam versionem authenticam declaravit, quàm eam in his quæ fidem & bonos mores spectant, incorruptam declarare; eamque inter omnes quæ tunc circumferebantur, tanquam erroris suspicioni minùs obnoxiam propter ejus antiquitatem, ad publicum Ecclesiæ usum eligere ac determinare: nullatenùs verò eam immunem ab omni nævo seu errato vel amanuensium vel interpretis definire: non possunt absque gravi calumniâ Ecclesiam Catholicam hâc in re Tyrannidis accusare; cum ne ipsi quidem ejus decretum eo modo quo à Catholicis exponitur intellectum, rejicere, aut ejus æquitatem inficiari audeant. Quid enim, ut ipsos adversarios hâc in causâ judices appellem, magis æquum erat vel rationi consentaneum fieri poterat, quàm eò tempore, quò tot novæ versiones ab hominibus plerumque minùs doctis utriusque partis factæ irreperant, eam ad usum Ecclesiæ seligere, quæ & Hieronimum virum sanctissimum authorem haberet, & ab annis mille à Patribus usitata, tam benè de Ecclesiâ meruisset: & quod caput est, in suspicionem erroris, aut partium studii, hæreticis venire non posset?

At, inquirunt adversarii, vulgata versio authentica dici à Consilio non debuit. Nulla enim versio quantumvis perfecta

authenticam ex se habere potest : sed soli originario textui hæc prærogativa convenit. Verùm ut taceam quaslibet vocum definitiones pro arbitrio proferri posse, dummodò explicentur, ut vox authentica quâ utitur Concilium toties à Catholicis exposita est : undè habent hæretici solis originariis posse authenticam tribui ? Num è contrà in ipso jure Civili ac foro contentioso quælibet ἀπόγραφα modo corruptelæ seu depravationis immunia sint, non minùs ac ipsa authographa fidem obtinent ? Quod si in præsentī instituto authographi necessitas ab adversariis premeretur ; cum certum sit nulla jam superesse Prophetarum seu Apostolorum authographa, sed ipsos Hebraicos Græcosque codices tantùm ἀπογραφα nobis exhibere ; sequeretur vel ipsis invitis adversariis nullam esse ampliùs in Ecclesiâ Scripturam authenticam. Quod si reponant saltem necesse esse ut apographum quod authenticum dicitur, ne in minimò quidem ab authographo discordet, quod de vulgatâ versione asseri nequit ; hâc responsione etiam Hebraici Græcique textus authenticam jugulabunt. Cum enim in utroque textu diversas lectiones diversaque sphalmata cogantur agnoscere, necesse est etiam ut fateantur neutrum in omnibus cum authographo convenire, sed utrumque in multis diversum esse, ac consequenter juxtâ suas rationes authenticam censeri non posse. Si autem diversos nævos quibus textus uterque respersus est, nihil obesse putent quominùs pro authentico habeatur ; nullâ ratione vulgatæ versionis errata majori vitio illi vertere, aut eidem authenticam abjudicare possunt.

Verùm, inquirunt, alium prorsùs habet sensum definitio Tridentina ; neque Concilium cum Vulgatam declarat authenticam, solam errorum in fide immunitatem ei tribuit, sed eam fontibus ipsis præfert, & ne latum unguem ab eâ discedere permittit, ut satis declaravit Congregatio Cardinaliù explicationi Concilii à Pontifice præposita sub Gregorio XIII. quorum declarationem refert Leo Allatius, in quâ expressè habetur, *ne unum quidem Iota in Scripturâ admitti posse, quod vulgatæ editioni repugnet.* Undè cum summi Pontifices prohibuerint ne quis præter istos Cardinales, Concilii

Tridentini decreta præsumat exprimere, hujus declarationis potior habenda est ratio, quàm privatorum hominum, quibus Concilii mentem ab istâ Congregatione discere necesse fuit, exponere verò non licuit. Ita Theologi Batavi in Epistolis criticis adversus Simonium quibus plerique Catholici de Theologorum grege in hâc Consilii explicatione patrocinantur. Sed facile est ab utrorumq; laqueis se expedire, ac istarum aranearum telas dirumpere. Si enim hanc esse Concilii mentem ostenderimus, quam ipsi tribuimus, statim omnis difficultas evanescet, & plumbea adversariorum tela retundentur. Atqui istud præstare nobis difficile non erit.

Primò nullus mentem Concilii ac decreti ejus de Vulgatâ, melius nosse potuit, quàm qui Concilio tunc temporis interfuerunt ejusque condendo decreto præfuerunt. Testatur autem Andreas Vega qui Sessioni quartâ Concilii in quâ Decretum istud editum est intererat, se pluries à Cardinali Cervino qui eidem Sessioni ut Legatus Apostolicus præerat, quique postea ad summi Pontificatus apicem evectus est, dictum audivisse, Concilium nihil aliud per hocce decretum intendisse, vel intendere, nisi versionem vulgatam ab omni prorsus errore in fide & bonis moribus immunem, ac cæteris latinis versionibus præponendam declarare. Ne quis autem id Vegam Cervino mendaciter putet affingere voluisse, notandum id Vegam scripsisse & publici juris fecisse cum adhuc Cervinus viveret, à quo, si falsa narrasset, de mendacio argui & puniri potuisset.

Secundò, idem de Concilii mente testatum faciunt qui postea eidem Consilio adfuerunt Melchior Canus, Salmeyron, Laines, Andradius, & alii, quique diù cum his qui decretum istud ediderant conversati sunt, & sensum Concilii proculdubio didicerunt.

Tertiò, idem quoque de Concilio testatur & probat Cardinalis Pallavicinus in ejusdem Concilii historiâ, ubi post multa quæ ad id demonstrandum refert, profert etiam hanc in rem epistolas Farnesii & Maphæi ad Legatos, & Legatorum ad Farnesium mutuò datas, ex quibus constat tum Romæ tum in Concilio ab omnibus agnitum & pro
certo

terto habitum fuisse vulgatam versionem plurimis mendis scaterere, non solum quæ ex amanuensium vel typographorum culpa; sed etiam ex Interpretis errore procederent; ob eamque causam optasse Romanos ut aliquid de errorum emendatione decerneretur; quod sufficienter factum responderunt Legati, cum de accuratissimâ editione Vulgatæ procurandâ in suo decreto statuerunt.

Ad id verò quod proferunt de Cardinalium declaratione, certum est illam nullam unquam auctoritatem habuisse, neque legem unquam fecisse. Quod cum jam satis pateat ex suprâ dictis, etiam indè confirmatur, quòd à tempore Gregorii XIII. multi graves Theologi ac viri doctissimi qui eandem quam profitemur sententiam tenuerunt, eodemque modo Consilii mentem exposuerunt, nullam tamen ejus declarationis, quamvis ipsis non incognitæ, rationem habuerunt. Etsi autem ea mens fuisset hujus Congregationis Cardinalium, quam illi tribuunt advertarii, nullus tamen esset, qui his non crederet libentiùs qui Concilio interfuerunt, & Tridentini decreti expositionem ab ipso Concilio acceperunt, quàm his Cardinalibus, qui cum diù post istud decretum vixerint, Concilii mentem non ita perspectam habuerunt. Sed nobis necesse non est laudatos authores huic declarationi opponere: siquidem ex ipsiusmet Congregationis judicio nullam meretur auctoritatem. Declararunt enim Cardinales diù post istam declarationem inter priores declarationes eas solas auctoritatem habere, quæ à posterioribus confirmatæ essent: quod cum circà eam quæ objicitur factum non sit, sequitur ex posteriori Congregationis decreto nullam ei inesse auctoritatem. Imò quod hîc obiter notatum velim, pleræque istarum declarationum in tantùm Romæ viluerunt, ut nonnullæ etiam in librorum prohibitorum indicem relatæ sint.

Itaque remotâ Hæreticorum calumniâ, qui eo sensu Vulgatæ authentiam definitam volunt, ut sola pro verâ Scripturâ divinitus inspiratâ posset haberi, originarii verò textus tanquàm Scripturæ spurix rejicerentur. Difficultas est inter Doctores Catholicos circà auctoritatem quæ ex Concilij

Tridentini mente vulgatæ versionis tribuenda est : plures enim Theologi eam sententiam amplectentes quam universæ Ecclesiæ tribuunt heterodoxi, & ex quâ occasionem arripiunt eandem de tyrannide accusandi, docent summam authoritatem vulgatæ versionis à Concilio attributam esse ; nec solum fontibus adæquatam, sed ita prælatam esse ut non jam versio ex fontibus, sed ex versione fontes corrigendi sint. Ex quo Concilii decreto volunt Vulgatam versionem maximè à tempore correctionis per Clementem VIII. factæ, quandam infallibilitatem & ἀνἀμαρτυρισίαν consecutam esse : ita ut vel minimum nævum in eâ notare aut leve mendum reprehendere crimen sit. Hanc sententiam præter vulgus Theologorum tenent etiam nonnulli dogmatici, qui aliquod nomen inter eruditos consecuti sunt, ut Pineda, Ludovicus Tena, Melchior Canus, Joannes Morinus & alii. Imò nonnulli ut suum scopum assequantur, docent D. Jeronimum peculiari Spiritus Sancti afflatu versionem illam condidisse, eodemque Spiritu dirigente & movente ejus opus ab omni errore exemptum fuisse, nec usquam à textûs originarii obscuritate, omonymiâ, ambiguitate, transpositione, quæcumque illæ fuerint, neque ullis mendis quæ textum Hebraicum eo tempore quo illum versit, invaserant, aut latinum infederant cum novi Testamenti translationem antiquam, comparato ei textu Græco reformavit, ita decipi potuisse, ut errorem aliquem vertendo commiserit. Verba sunt Morini Exercit. Biblic. l. 1. exerc. 6. c. 12. ubi pro eâdem sententiâ citat Salmeronem & Tithelmannum quibus adjungere potuisset etiam Gretserum. Vide Serrarium in Prolegomenis Biblicis cap. 19. quæst. 8.

At verò plurimi alii Theologi prioribus nec merito impares, nec eruditione inferiores, quorum sententiam ferè jam sequuntur quotquot inter dogmaticos alicujus doctrinæ laude præfulgent, contendunt non aliam fuisse Concilii mentem cum Vulgatam authenticam esse declaravit, quàm eam ab omni errore in fide & bonis moribus immunem asserere, ut suprâ à nobis ostensum est : nullatenus autem voluisse

Concilium aut Vulgatam fontibus adæquare, nedum præferre; aut eam ab omni errore librariorum aut Interpretis & nævo immunem asserere. Hanc sententiam præter Andream Vegam l. 15. c. 9. Andradium l. 4. defenf. Concil. Trid. Pallavicinum & alios suprâ laudatos, amplectuntur etiam Sixtus Senensis, Joannes Mariana, Serrarius, Bronfrerius, Adamus Condzen, Simonius, Cabassutius, Natalis Alexander, & plures alii.

Multis autem ac firmissimis rationibus sententiam adversariorum evertunt. Primò quia ex illâ sequeretur neque Græcam Ecclesiam, neque ullam ex Christianorum orientalium societatibus Scripturam sacram habere; cum nulla ex illis Vulgatâ utatur; licet multi inter Orientales Romanam Ecclesiam agnoscant.

Secundò, quia dubium non est quin versio τῶν ὀ primis Ecclesiæ sæculis authentica habita sit, cum plerique veterum eam à Spiritu Sancto dictatam, & miraculis auctoritatem adeptam esse crediderint. At non ideò eam unquam aut ab omni nævo immunem, aut fontibus præferendam duxerunt; imò contrariùm omninò expressè docuerunt, ut suo loco à nobis ostensum est.

Tertiò quia certum est vulgatam versionem, quando decretum Tridentinum editum est, multis nævis respersam fuisse, ut ex subsequitis emendationibus Sixti V. & Clementis VIII. manifestum est. Non poterat ergo Concilium cùm decretum suum edidit, eam in sensu adversariorum authenticam declarare. Quàm absurdum est autem dicere quod respondent adversarii, eam declarationem Concilii pro tempore correctionem subsequuto esse intelligendam! Quid enim magis incongruum excogitari potest, quàm Concilium declarasse ne levissimum quidem nævum Vulgatæ superfuturum post correctionem, quasi de correctorum infallibilitate certum fuisset? aut dicere Vulgatam declaratam esse authenticam pro eo statu quem post quadraginta annos habitura erat?

Quartò. Sententiam adversariorum planè evertunt tùm ipsi qui Vulgatæ emendationi præfuerunt, tùm qui Bibliis

Clementis VIII. præfationem apposuerunt ; cùm ingenuè fateantur Vulgatam non ita expurgatam fuisse , ut nullus omninò nævus superesset : sed è contrà nonnulla loca certis de causis à se fuisse relicta quæ correctione adhuc egere videbantur. Sic enim habet Bellarminus , unus ex Correctoribus , in Epistolâ ad Lucam Burgensem qui suas in Vulgatam observaciones ad eum miserat , quibus multa adhuc inemendata remansisse ostendebat, quæ tamen correctoriâ manu videbantur indigere. *Scias , velim , inquit , Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata ; multa enim de industria justis de causis pertransivimus quæ correctione indigere videbantur. Variæ lectiones quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur , & in quas tu librum utilissimum scripsisti , mihi videbantur omninò addendæ. Authores verò Epistolæ Bibliis Clementis VIII. præfixæ ita habent : & verò quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus M. SS. Hebrais Græcisque fontibus , & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum sit : in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consultò mutata , ita etiam alia quæ mutanda videbantur , consultò immutata relicta sunt. tum quod &c.*

Ex quibus clarum est eos à vero Concilii sensu exorbitare qui putant ejus authoritati eum contrarium fore , qui vel levissimum errorem , seu nævum in Vulgatâ annotaret. Siquidem tam qui ejus emendationi quàm qui editioni præfuerunt contrarium apertè profitentur. Jam vero quod multi adversariorum asserunt , Jeronimum , cum suam versionem faceret , fuisse *θεωπνεύσον* & infallibilem , tam ridiculum est asserere quàm quod magis. Sufficiet autem ad istud delirium confutandum Jeronimum ipsum contrarium omninò profiteri , & se quandoque malè transtulisse ingenuè fateri. Hæc sunt ejus verba in Esai. 4. *Melius reor , inquit , proprium errorem reprehendere , quam dum erubescō imperitiam confiteri in errore persistere in eo quod transtuli.*

Cæterùm quod hîc Morinum inter eos retulimus , qui in Vulgatâ nullum omninò nævum agnoscunt , summamque illi tribuunt authoritatem , nonnullis fortasse difficultatem faciet.

Idem enim Morinus contrarium tam certum statuit, ut non vereatur asserere, quòd si omnes qui naves in Vulgatâ agoscunt damnandi essent, vix ullus damnationem vitare posset Catholicus, cum vix ullus sit qui id alicubi non agnoscat. Sed sciendum est istam Morini assertionem non impedire quominus summam in omnibus authoritatem Vulgatæ tribuendam, eamque ab omni errore immunem putet. Singulari enim opinione utrumque in suis dissertationibus conciliare conatur, dum variantes Vulgatæ lectiones & ab Hebraico vel Græco textu diversitates duplicis authenticitatis distinctione canonicas facit. Docet igitur Morinus aliud in Scripturis authenticum esse ex naturâ suâ, aliud verò per accidens. Ex naturâ suâ authenticum est quod eodem modo in Scripturis habetur, quo à Spiritu Sancto primitus inspiratum est sacris Scriptoribus. Per accidens verò authenticum est, quod licet à Spiritu Sancto inspiratum non sit, ex Ecclesiæ iudicio authoritatem adeptum & pro Canonico habitum est. *Quemadmodum enim, inquit Morinus, nonnulla quæ ex Prophanis Authoribus in Scripturis habentur, prius quàm ab Authoribus Sacris laudarentur, humanam tantum habebant authoritatem. Postea verò quàm ab Apostolis citata fuerunt, divinam consecuta sunt: sic diversæ lectiones quæ vel ex librariorum errore, vel ex Interpretum vitio in Scripturam irrepsertunt, ex se humanam tantum habent authoritatem. Sed ex quo versio vel textus in quo habentur, pro authentico ab Ecclesia receptus est, divinam infallibilem, & Canonicam consequuntur.* Et hæc quidem est Joan. Morini sententiâ, quæ tantum aberrat à verâ Theologiâ, ut quomodo viro doctissimo in mentem venire potuerit, fatis mirari nequeam. Sed hæc de Vulgatâ dicta sufficiant.

